Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Hulsius Johannes Cochius

Dissertatio Theologica Paradoxa De Desiderio Mulierum, & Deo Mausim, ad locum Dan. XI: vs. 37. & 38. : Cui annectitur Corollarium duplex: I. De Fine Creationis subordinato, Num omnia propter hominem facta? II. De veris Diaboli in Mundo operationibus

Duisburgi ad Rhenum: Sas, 1694

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78876974X

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78876974X/phys_0001
DFG

93

Fa 1092 (93)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78876974X/phys_0002
DFG

DISSERTATIO THEOLOGICA
PARADOXA
De

DESIDERIO MULIERUM, & DEO MAUSIM,

ad locum Dan. XI: ℣s. 37. & 38.

Cui annectitur Corollarium duplex:

I. De Fine Creationis subordinato, Num omnia propter hominem facta?

II. De veris Diaboli in Mundo operationibus.

Quam

SUB PRÆSIDIO

VIRI Clarissimi, Celeberrimi, & Excellentissimi

DN. HENRICI HULSII,

SS. Theol. Doctoris, inque hac Electorali Brandenburgica, quæ Duisburgi Cliviorum floret, Academia, Professoris Ordinarii,

Publicæ Eruditorum disquisitioni subjicit

JOHANNES COCHIUS,
SOLINGA - MONTANUS,

Ad diem horis locoque solitis.

DUISBURGI ad RHENUM,
Apud JOHANNEM SAS, Academiæ Typographum,
Anno M. DC. XCIV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78876974X/phys_0005
DFG

NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS ET CONSULTISSIMIS VIRIS

D. D. D.

CONSULIBUS, SCABINIS, SENATORIBUS ET ORDINI TRIBUNITIO REIPUB: VESALIENSIS RECTORIBUS DIGNISSIMIS

Hancce Disput: Theolog. Submisse Sacram vult

J. COCHIUS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78876974X/phys_0007
DFG

CLARISSIMI VIRI
MECÆNATES HONORANDI

TAntæ defixæ hærent menti meæ beneficiorum veſtrorum in nos collatorum lautiſſimæ ſegetes, de quibus quid primo quid ultimo cogitandum mihi erit, merito dubioſe ambigam. Non hoc loco in animum induxi meum nudis hic lenocinys aut tortuoſis verborum uti anfractibus (deprædicare non eſt mihi animus) obvia ſunt quam plurima, quæ vel invitus commemorare, Veſtrisque, eo quo par eſt affectu, adjungere laudibus impellor; Quin & intimus amoris quo in Venerandum feror Parentem, ſtimulus ſuadet idem & urget: Parentem loquor quem dedignati olim haud eſtis favore læto lubenter exoſculari, ſic, ut etiam in urbem Veſtram Veſalienſem, emporium ad Garamantas extremosque Indos notiſſimum, Divino ita dirigente Numine Eum ad ſacra pulpita vocare volueritis: Vocationi Divinæ geſſit morem Cælicarumque veritatum præconys Cathedram veſtram, caſtiſſima religionis luce conſpicuam quantum pote, exornavit; Nobile ſemper & fertile circumſtetit Auditorium, nec fuit inauſpicatus unquam præſtitus hic in Domino labor, quem inibi per luſtra & quod excurrit, gemina ſedulus exegit: Veſtros etiam maximè propenſos in ſe animos expertus eſt, & adhucdum in Aula SERENISSIMI,

ad

ad quam ante Septennium vel invitus trahebatur, jussu & vocatione FRID: WILH: Magni Electoris, ægerrime à vobis avulsus, qui parentem nunc Senio confectum favore & amore Vestro ad hanc usque horam seriò complectimini, ejusque specimina haud contemnenda luculenter dedistis; Verum enim vero, ne ego ingrata mente hæc omnia videar reposuisse, Submissa manu disputationem hanc, lætæ recordationis tesseram Vobis Vestroque Nomini inscribo, sacratamque volo: Quam, cum palatum habeatis cælestibus rite imbutum, Suscipietis, nisi prorsus hallucinor, lubenter; Chartaceum equidem, non inficior, munus est, quod tamen haud pondere, sed digno rerum argumento censendum venit.

Sumite ergo id ipsum mentis manusque affectu benevolo, quærite num obvium reperiatur quicquam, quo delectemini suaviter, gustate obsecro num sapiat PARADOXA hæc veritas. Deus Triunus Civitatem & Rempublicam Vestram inclutam omnigena felicitate beet, ut auspiciis Vestris atque Consiliis vigeat, germinet, magnumque perpetuo per Vos Sumat incrementum. Valete VIRI NOBILISSIMI, meoque nomini prout favetis, favere penitius pergite.

V. V. D. D. NOB. N.

Servus devotus

J. COCHIUS.

DISSERTATIO THEOLOGICA PARADOXA De DESIDERIO MULIERUM, ET DEO MAUSIM,

Dan. XI. ℣ſ. 36. 37. 38. 39.

Et faciet ut voluntas ejus ille Rex, & exaltabit ſe & magnificabit ſe ſupra omnem Deum, & ſupra (contra) Deum Deorum loquetur mirabilia (grandia) & proſperabitur usquedum finitur ira, nam præciſa ea (&) effecta ea.

Et ad Deum Patrum ſuorum non attendet, & ad DESIDERIUM MULIERUM, & ad omnem Deum non attendet, nam ſupra omnem magnificabit ſe.

Et Deum MAUSIM ſuper ſtatione ſua honorabit, & Deum quem non noverunt Patres ſui honorabit auro & argento & lapide pretioſo & deſiderabilibus.

Et faciet munimentis (munientibus) Mauſim cum Deo peregrino quem agnovit, multiplicabit gloriam, & faciet eos dominari in multis, & terram partietur in præmio.

§. I.

PRophetia *Danielis*, quæ *cum Divi Johannis Apocalypſi* optimè ordinem fatorum & momenta temporum ſignat, tam inſignis & accurata in hoc inſtituto comperta fuit eſſe, ut olim *Porphyrius lib.* 12. *contra Chriſtianos* eam non vaticinium ſed hiſtoriam poſt res geſtas & viſas conſcriptam eſſe cavillaretur; tum non à Daniele profectam cujus nomen præ ſe fert, ſed ab æquali potius aut poſteriori *Antiochi Epiphanis*, qui pariter & vaticinii & authoris dignum nomen confinxerit & mentitus fuerit. Opportunè viſa hæc calumnia Hiero-

nymo *in Præfatione in Danielem* nota certa veritatis. Confutant eam vero argumentis validis Methodius, Eusebius, Apollinaris. Quid enim? redarguit impudentiam hominis manifeste Versio LXX. Interpretum, qui ætatem Antiochi antegressi Danielem in Græcum sermonem transtulerunt. Obruit & Josephus in Antiquitat., quum Alexandro Magno in Asiam contendenti à Jaddo Pontifice Judæorum Prophetiam hanc exhibitam esse apertis verbis commemorat, qui & sibi in eâ læta & fausta quæque appromitti intellexerit.

II.

Haud postrema Prophetiæ hujus existit pars, quæ nunc præ manibus nobis est pericopa. Agit enim plene de fatis & eventis sub toto Novo Test: Agit & de iis ordine ac serie justa & genuina. Unde pretium operæ futurum eam attentius expendere & considerare. Convenit vero, ut subjectum & argumentum prius determinemus & confirmemus rite, antequam ulla ejus fit ac instituitur tractatio.

III.

Incerti sunt Interpretes Judæi quò referre debeant: id quod ex variante eorum expositione satis liquet. Liber אבקת רוכל in *Signo Septimo* applicat ad fabulam de Armillo, Messiæ in fine mundi certissimo futuro Adversario: modo credere fas sit Zorobabel qui ita in ספר זרבבל dicat sibi ab Archangelo Michaële esse revelatum; יבא ארמילוס וילחם במצרים וילכדה שאמר וארץ מצרים לא תהוה לפלטה ויחזור פניו לירושלים להחריבה פעם שנא שנ ויטע אהלי אפדנו בין ימים להר צבי קדש ובא עד קצו ואין עוזר לו: *Et veniet Armillus, & oppugnabit Ægyptum & capiet illam: quia dicitur Dan.* 11: *v.* 24. *Etiam terra Ægypti non evadet. Deinde convertet faciem suam Hierosolymam, ad vastandam illam secunda vice, quia dicitur Dan.* 11: *v.* 45. *Et figet tentoria Palatii sui inter maria in monte decoris sancti, quumque venerit ad finem suum nullus erit auxilio ei.* Sunt vero inter Judæos alii, qui applicant Constantino Magno, aut pressuris quas debuerunt tolerare sub Vespasianis, aut Imperio Dumæ seu Romano

Romano in genere. Christianorum expositio communis intelligit de Antiocho, at nunc solo, nunc spectato ut AntiChristi typo, nunc & ut AntiChristo tantum, excluso plane Antiocho; At id non fert ordo, *dum* post Antiochos exactos hic *Spretus* introducitur, *dum* de uno ac eodem subjecto pericopæ hujus ultimæ contextus totus diserta verba facit, *dum* & seriem ordinis & successionis, testibus particulis *tunc* & *postea*, absque resilitione proponere nititur. Unde & abeunt ab interpretatione hac communi *Calvinus* & *Oecolampadius*, quum *ille* Spretum refert ad ignobiliorem Romanorum Consulum ordinem ante exortam Cæsarum Monarchiam, *hic* vero de Mahomete, qui sit AntiChristus Orientalis, explicet. Longe vero rectius, inde à *vers.* 21. *Dan. XI.* usque ad finem, unum constanter intelligo & retineo AntiChristum, utpote in quem cuncta seriatim conveniunt prædicata, *qui* est ille inermis ac spretus, *qui* occupat regnum fraudibus & blanditiis, *qui* mittit expeditiones versus Meridiem contra Syros, Ægyptios, aliosque occupatores terræ Sanctæ, *qui* habet Mausim & se evehit supra omnem Deum. Hæc singula item appropriat Daniel Propheta uni: unde causa & ratio nulla, ad eorum complementum habendum, cogitare de diversis.

IV.

Agi autem hic vere de AntiChristo, id non uno modo confirmatur. *Primùm* enim occurrit hic is insignis vastator Ecclesiæ & fœderis sancti qui distinguitur à vastatore ad Meridiem & Rege Orientе. Is autem non reperitur alibi nisi in Occidentali Ecclesiæ vastatione, quæ introducta est per Romanum AntiChristum. Non enim sunt Vastatores insignes Ecclesiæ nisi duo, in Oriente alter, alter in Occidente. *Secundò* declarant hoc epiteta ac formalia *vers.* 36. 37., *quum se evehere dicitur super omne id quod est Deus*, quo AntiChristus notatur: Hoc enim non solum proprium ipsi in Scriptura est, sed & aperte his iisdem formalibus & verbis AntiChristo attribui legimus 2 *Thess.* 2: *v.* 4. Comparetur & *tertio* terminus durationis, qui *cap. XII.* 7. huic Regi tribuitur, cum duratione & termino regni Bestiæ *Apoc. XIII.*, & comperiemur utrobique eundem esse, nimirum dies 1260, seu tempus tempora & dimidium temporis,

quod durationis spatium solet bestiæ ubivis dari ac appropriari. Tum & hoc evincunt singula huic Regi data prædicata: Quis enim ratione personæ est extra Meridiem & Orientem Spretus? quis occupat blanditiis regnum? quis confirmantibus falsum Deum ac spuriam religionem distribuit provincias & terras? nisi Papa Romanus. Sed & efflagitat hoc necessariò in se historiæ Prophetiæ ac regnorum mundi series ac ordo, qui hic exhibetur: Non enim in urbe Romanâ & sede Principis Syriam delentis, post exactos Exarchos, fuit Successor alius quàm Romanus Pontifex.

V.

Et sane, quicquid etiam de Antiocho Epiphane cum insigni specie dicatur, id tamen rem minime efficit. Neque enim ille habuit cultum & Deum singularem, quem adeo voluit evectum, ut & operam suam in hoc conferentibus terras & provincias distribueret. Neque rejecit unquam Deos Patrum sed reverenter habuit: Coluit enim eos tam religiosè & acriter, ut & ad eorum venerationem Judæos compelleret 1 *Macc.* 1.; quin & jussit templum Hierosolymitanum templum *Jovis Olympii*, templum vero in Monte Garizim *Jovis Xenii* seu Hospitalis appellari: adeo non degeneravit à prisca Patrum & Majorum suorum superstitione. Nec majori jure Mahometem quis hoc loco intelligat: Nam 1. distinguitur aperte à Meridie quam petit, & Oriente à quo impetitur *vers.* 29. 44. Possidet vero & habet Mahomet Meridiem & Orientem. 2. Non in regno Mahometis accidit confortatio illa sapientum, quâ in reformatione superiores rem effecerunt, quemadmodum legitur *vs.* 32. Neque convenit 3. duratio huic imperio præstituta, cum duratione ea longâ quâ permanebit Regnum Mahometis: Dantur enim huic dies 1260. seu tempus tempora & dimidium temporis *cap. XII*, quod & spatium temporis tribuitur cornu illi parvo, quod tempora & leges mutat *Dan. VII.* At cornu illud parvum Mahometanum, quod versus Orientem & Meridiem increvit, longius multo habiturum durationis spatium, diesque 2000. & 300. *Dan. VIII:* 14., quo elapso tempore sanctuarium Orientis prophanatum demum iterum sanctificandum.

VI. Stat

VI.

Stat igitur inconcussum, prædictionem de AntiChristo esse Pericopæ nostræ subjectum & argumentum. Agitur vero de hoc subjecto & AntiChristo hac capitis & pericopæ serie, hoc ordine. Postquam initio *capitis XI.* de rebus Monarchiæ Secundæ & Tertiæ Daniel fuerat orsus, atque inde usque ad ℣*s.* 18. de Regno utroque ex Monarchia tertia progerminante Syriæ & Ægypti latius dixerat, pergit ℣*s.* 18. atque accingitur totus ad Monarchiæ quartæ descriptionem, quam & fusè usque ad finem pericopæ pertexit, sed ita, ut & variam ejus infractionem & successionem simul adnotet. Hinc introducitur primò ℣*s.* 18. Princeps seu Dux, qui *sistit opprobrium Syri*, qui in ordine prophetiæ ac historiæ non alius est quàm Dux à Republica Romana missus qui & in suo ordine tandem Imperator, sive Æmilius Prætor, qui classem Syrorum vincit referente *Justino lib.* 31: sive Lucius Scipio frater Africani, qui terrestri prœlio adeo Antiochum superat, ut Thraciam & Græciam relinqueret, cessâ Romanis omni Asia cis Taurum montem: sive post Lucullus, qui Tigrani Syriam adimit; sive Pompejus, qui eam in provinciam redigit. Cujus effectus erat hic, ut caderet Antiochus conversus ad arces *Strabo Lib.* 16. Succedit ℣*s.* 20., at maxime recedente Romano Principe in Orientem, alius in locum, *Transire faciens Exactor decoris Regii*, qui est Præses Provinciæ in locum Regum suffectus, & Exarchus Italiæ. Ille enim non ipse gerit decus regium, sed exigit tamen & vindicat in locis subactis, at sic, ut transire faciat brevi & frangi potentiam, non violentiâ sed spontanea secessione, sed blanditiis Pontificis & superstitione. Unde & exspirat plane Exarchatus *anno* 744, Aisdulpho Longobardorum Rege Ravennam capiente, postquam steterat per annos 176. in Longino, Smaragdo I., Romano, Callinico, Smaragdo II., Lamigio, Eleutherio, Isaacio, Calliopa I., Olympio, Calliopa II., Platina, Theophilacio, Paulo, Euricho, quindecim Exarchis. Erant equidem hi Vicarii Imperatorum Orientalium in urbe Ravenna: at strenue nil fere egerunt, cum per inducias plerumque cum Longobardis paciscerentur. Fuerunt adhæc homines scelerati, & vagis libidinibus dediti, Virginum & Matronarum raptores:

res: Unde evenit quod Italis cunctis fuerunt invisi & exosi. Hi autem verè non in ira & bello fuerunt fracti, sed blanditiis Pontificum cedendo, sed privilegiis immodice ab Imperatoribus Romanæ sedi concessis, sed populi intestina ac spontaneâ aversatione & secessione. Post ordinem vero Præsidum aut potius Exarchorum emergit ℣. 21. aut stat in sede *Spretus*, qui blanditiis regnum occupat non armis, qui AntiChristus est: de quo hinc usque ad finem pericopæ agitur. Describitur vero primùm ejus *ortus* ℣. 21. 22. 23. *Stat in priorum sede*, quum ad Pontificatum, priscam Imperatorum Romanorum dignitatem, evehitur, Romam incolit, sedem & imperium Draconis accipit, Italiæ loca ex dono possidet: Est tamen in se *Spretus*, inermis Pastor, homo plebejus, ex rogo Martyrum ad Regnum prorepens. Neque erat ipsi *Majestas Regia* tributa, sive à Deo qui interdixit Clero serio dominatum, sive ab Imperatoribus, qui non indulserunt Majestatem temporalem. Irrepsit vero *per blanditias in pace*, dum vicit per doctrinam, & obtentum pietatis ac religionis, & disciplinam clavium, & sacros ac religiosos, quos prætexebat, usus ac fines; *per* benedictionem a Deo in caput inaugurandi Cæsaris devolutam attraxit jus consecrandi & confirmandi Imperatores, *per* Judicia charitativa erexit audientias Episcopales, *per* consilia & præsidia in ferreis & incultis seculis unice à clero petenda, munia Cancellariatus & Consiliariatus, *per* obtentum in ordine continendi Clerum, obvenit jus gladii & jurisdictio temporalis, *per* occupationes suas humiles & Episcopales accepit provincias & amplos Episcopatus, *per* Sacramenta aucta, augmentum jurisdictionis & Ecclesiastici fori. *Franguntur dehinc brachia inundationis coram eo* in ortu & post: Quæ non sunt *nisi* Reges Barbari olim Italiam vastantes at tunc domiti & conversi, *nisi* cornua decem, quæ potestatem suam bestiæ dederunt *Apoc.* 17: *v.* 13., *nisi* Reges ab ipso depositi thronoque deturbati Henrici, Ottones, Friderici, quos coëgit. Confer *Dan.* 7: 8., ubi itidem tria cornua coram AntiChristiano cornu excidunt & franguntur. At & *Princeps fœderis frangitur coram eo*, qui est Imperator cum quo sedem rem & rationem omnem habet conjunctam. Frangitur autem sic ut *in consociatione cum eo faciat fraudem*: Quò spectat

spectat *Dissertatio Kriegsmanni de Attrito per Papas Imperio*, & querela Maximiliani Imperatoris, *Nullus Papa mihi adhuc fidem servavit*. Hic ortus AntiChristi & Spreti est. Succedunt post ortum ejus *incrementa & insignes progressus vers.* 23. 24., *Ascendet*, & *corroborabitur pauxillo gentis* i. e. cleri ubivis dispersi, qui laborat pro eo, & exiguus tam splendore quam numero in quavis urbe est, licet secus abundet: Hac vero gente tunc corroborabatur, quum illa tantum Pontifici subjiceretur. *Venit in opimas provincias:* Sedem enim proximam & personalem sibi sumpsit Pontifex in Italiâ, delicato illo mundi angulo sedeque prisca Imperatorum, in qua sex amplas possidet ditiones. Accepit & Hispaniam ac Gallias, quæ singulari religione obsequuntur. Possident & Episcopi ac Archi-Episcopi ea loca, quæ opima & optima sunt. At & contra morem prædecessorum *dissipat potentiam & spolia:* Curat enim, ut vis politica frangatur & debilitetur. Dissipat authoritatem & Majestatem Imperantium, quum colla eorum sibi subjicit: dissipat eorum imperium, quum imperium suum & quidem longe sanctius in imperio erigit: dissipat provincias, quum potissimam earum partem ad Clericos transfert: dissipat & nervum ac opes, quas per mille exemptiones & artes accidere & emungere novit: quin & dissipat politiam ac civitatem, dum per monopolia & privilegia Clericorum corrumpuntur qui cives sunt. Quum vero munitiones nimias offendit, quas ita dissipare non potest, *excogitat contra eas artes*: Contra has non aperto modo sed per artes agit; quæ sunt & fuerunt *Missiones in terram sanctam*, ut ibi vis imperantium frangatur domique in absentia liberiùs tumultus emergat, *Arcanæ commotiones*, quibus Imperantes inter se collidit ac divisiones & bella in iis sollicite fovet, *Abusus potestatis clavium*, quum eam in Tyrannidem externam commutat, deponendo, homagium dissolvendo &c. His subjicit Daniel tertio *Expeditiones ejus sanctas & cruciatas* adversus Turcam pro recuperanda terra sancta *vers.* 25. 26. 27. 28. 29. 30., ubi loquitur de duabus expeditionibus versus Austrum, cui in fine pericopæ tertiam conjungit, quæ in desiderabilia Lybiæ & Æthiopiæ eum dominari faciet. Expeditio prima fuit felix, ut *Rex Austri non staret coram illo:* Inchoatur enim sub *Henrico IV.*

Imperatore anno 1097. bellum sacrum, quo universus occidens visus est migrare versus orientem. Præficitur Dux, *Godefridus Bullionæus* Lotharingiæ Princeps, qui in Asiæ aditu Solymannum vincit, Niceam urbem expugnat, & quatuor annorum spatio Lycaoniâ, Cilicia, Syria, Mesopotamia, Comagenâ potitur. Hierosolymâ verò captâ coronatur Godefridus ibidem spineâ coronâ Rex: quod Regnum duravit usque ad annum Christi 1187., quo Saladinus Ægypti Sultanus urbem recuperat. Cui expeditioni ad Austrum promovendæ & constituti sunt ordines sacri equestres, Johannitæ, Templarii, Teutonici. Cessit autem hinc tam feliciter expeditio hæc, quod panem comedentes Calyphæ Ægyptii proderent ac non resisterent, quod dividi ac Duo fierent Reges, Sultanus Ægypti ac Saracenorum Imperator, quodque ad unam mensam sedentes fraudem loquuntur. Ab hac vero expeditione domum rediens parat & ordinat rem *contra fœdus Sanctum*; Cæpit enim tunc Waldensium persecutio, pervenitque ad apicem superstitio, idololatria, missa, transsubstantiatio, graphys confosso Johanne Scoto, & ad palinodiam coacto Berengario. Post, tempore præstituto (puta Reformationis) *denuo Austrum invadit, sed non cum eo successu*: Factum hoc sub Carolo V. Quum enim in Africam & prope Argieram Imperator appulisset, fuere naves cunctæ, ex sævissima obortâ tempestate, partim collisæ partim submersæ, ut re infecta Cæsar in Hispaniam redire cogeretur cum ingente machinarum bellicarum totiusque exercitus detrimento. Venerunt & tunc *naves Chitteæ ut habetaretur*, i. e. Ecclesiæ Protestantium quæ ex occidente & imperio Romano, & quidem Italiæ ac sedi etiam Romanæ hactenus subjecto, prodeuntes reformationem strenue perfecerunt. Hebetabantur & tunc vario modo Carolus & Philippus. Occasione vero eâ qua locutus de hac ejus hebetatione, eâ item qua enarraverat ordine expeditiones in genere ac versus Meridiem, nunc novum genus expeditionis sacræ ab ovo repetitum subjungit. Dixi ab ovo repetitum & plena summa; Ita enim in antecedentibus expeditionem unam alii subjunxit easque serie sua edisseruit; Ita similiter & postea fastus Antichristianus serie successiva narratur, licet ille & in anteriore tempore non minus

nus haberet locum, non enim, quæ *vers.* 36. sequuntur, tanquam tunc demum inchoata spectari debent; Neque patitur res ipsa prophanationem factam sanctuarii, quæ occurrit, à tempore Caroli V. demum ordiri. Hinc *vers.* 30. 31. 32. 33. 34. 35. sequuntur ea, quæ contra veritatem & fœdus sanctum executus est: quæ magna sunt. Dicitur enim quod immani ira flagret *& perficiat*: quod hoc modo processit, ut cuncta in desertoribus fœderis sancti obtineret, ut Sanctuarium cum fœdere prophanaretur, ut improbe erga fœdus se gerentes hypocrisi uterentur. At sunt etiam his oppositi cognoscentes Deum, qui *confirmabuntur* & in Reformatione rem *efficient*. A quo *prudentes*, in eo populo cognoscentium Deum, *docebunt multos*; Erigebantur enim in reformatione Academiæ, in quibus formabantur ii qui Ecclesiis præficerentur, Ordinabantur & Ministeria in quibus vigebat perpetua cœtus instructio. In hoc equidem hi persecutionem sustinent, ut *corruant per dies multos*, sed *ad conflandum* porro & *exalbandum*, sed ut *auxilio parvo* idendidem etiam *juventur*. Describit porro *fastigium* AntiChristi, ac elationem ejus summatim comprehensam *vers.* 36. 37. 38. 39. Faciet *pro voluntate* Rex. Efferet se *supra omne quod Deus* est, ipsum Deum Deorum, Deum Patrum, Desiderium mulierum, Deum omnem. Constituet se & suam potentiam seu suum *Deum Mausim* pro Deo. *Honorabit eum auro, dividetque munientibus eum red-hostimenti loco provincias terræ.* Tandem sequitur *vers* 40. 41. 42. 43. 44. 45. *exitus & finis*, quo patietur quidem principio à Rege Austri & Aquilonis, sed qui vincentur ab ipso, quorumque terras una cum Palæstina invadet & occupabit. Tandem verò consternabunt eum rumores ex Oriente & Aquilone: quod applicant malè ad tempus Reformationis ubi Turca & Germania reformans simul consternabat, male item ad tempus Constantinopoleos captæ; Non enim ea erant tempora finis, neque fuit tunc per hos rumores evocatus ex Lybia & Austro, neque translata tunc fuit in terram decoris Sedes. Tandem peribit ac *nullus erit ipsi auxiliator*: Deserent enim eum ipsa cornua ejusque & omnem ejus pinguedinem absument *Apoc.* 17: 16. Hoc prævio describit simul *Cap. XII. vers* 1. 2. 3. qualitatem ejus ultimi tempo-

 ris: *quod*

ris: *quod* tam calamitosum erit ac fuit unquam, *quod* liberationem dabit iis qui in libro vitæ scripti, seu de numero Ecclesiæ existunt, *quod* resurrectionem mortuorum ex inferno mari & morte, de qua *Apoc.* 20., habebit, *quod &* Doctores in summo fulgore nitentes sistet, quò sic per eos populi convinci adduci & converti possint: pro quo *Apoc.* 20. thronus judicialis magnus candidus, qui convincet & judicabit, ponitur. Ut vero adhuc perfectior hæc enarratio existeret, subjicitur & tempus, quando hoc eventurum, *cùm* tecte, *cùm* explicatius & exserte, inde à *vers* 4. ad Prophetiæ finem: *tecte*, tempus, tempora, & dimidium temporis, per quod debet Regnum bestiæ facere *Apoc.* 13.; *exserte* etiam & plenius, quum à prophanatione Sanctuarii & ablatione jugis dies 1290. numerantur.

VII.

Tangit vero in loco, è quo materia dissertationis desumpta est, Propheta ipsum AntiChristi ulcus, pingitque formale illud & characteristicum, quod hunc Ecclesiæ hostem proxime constituit & ab alio quocunque distinguit. Quod non hæresis nec persecutio est (hæc enim communia cum aliis habet) sed fastus ille insignis triplex, quo & contra Christum est, & vice ac loco ejus esse vult, & supra Christum evehitur: Non unam enim significandi vim particulæ עַל & ἀνὶ habent, & congrue ad subjectum denominatum habent. Loquimur de insigni & uno illo *AntiChristo*, qui Prophetis adeo decantatus est, non de multis illis & *AntiChristis*, nec de *spiritu AntiChristi*, de quibus *Johannes* in epistolis distincte agit: Est enim spiritus AntiChristi in singulis hæreticis, quoad per eos Christus fundamentum petitur ac impetitur; fuit & ille in primis Patribus, quoad mysterium iniquitatis etiam tunc operatum fuit. Sunt vero etiam AntiChristi multi qui & tempore Johannis exstiterunt, omnes illi PseudoMessiæ quin & Judæi qui negarunt Jesum in carne modo venisse eumque esse Christum, tum æmuli Christi in primis Hæreticis qui idem cum Christo sibi vendicabant, non minus *Ebion*, *Cerinthus*, cæterique negatores divinitatis & dignitatis Christi. Ab his vero distinctus est insignis ille AntiChristus, qui tempore præstituto debebat

bebat esse & in templo Dei fastuose sedere tanquam Deus, & per hoc apostasiam eam longam ac famosam introducere. E quo obiter patet minimè hinc opus esse singula, quæ de AntiChristis apud Johannem leguntur, ad insignem illum referre, quum diversa non tantum subjecta sint, sed & diversa fere ratione hanc prædicationem sustineant. Vidit hæc quodammodo *Pererius* Jesuita *Commentarior: in Dan. Lib. XIV.* quum scribit, *Nomen AntiChristi, si notionem ejus vocis perpendas, generale est, & dicitur de omnibus qui contrarii sunt Christo Domino: Nam &* Johannes prioris epistolæ suæ capite secundo *dixit*, nunc AntiChristi facti sunt multi, *& Apostoli atque eorum discipuli AntiChristos vocare solebant Principes Hæreticorum, & eos maxime qui negabant Dominum nostrum esse Deum, aut esse verum hominem, aut esse Messiam illum à Deo promissum: unde* Johannes primæ epistolæ cap. 4. Omnis Spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est AntiChristus. *Verum nomen AntiChristi ex illa generali significatione contractum proprie assignatum est ei, qui in fine mundi, super omnes qui ante ipsum fuerint, Christo & omnibus ejus sectatoribus contrarius est futurus. &c.*

VIII.

Graphice fastus hic AntiChristi describitur hìc ibi in Prophetis. Depingitur ab *Esaja* sub Typo Regis Babel *Cap. XIV. Tu autem dicebas in corde tuo, in cœlum ascendam, supra stellas Dei eveham thronum meum, & considebo in monte condicti conventus, in lateribus aquilonis, ascendam in celsa nubis, assimilabor altissimo.* Qui κλίμαξ est & gradatio continua sex gradibus insignis. *Ascendit in cœlum*, dum non in terrâ quam Deus dedit filiis hominum & juxta fratres esse ac reperiri vult *Ps.* 115:15. *Ps.* 133:1., dum ad potestatem Ecclesiasticam & Politicam connititur (Cœlum enim hìc non simpliciter Ecclesia N. T. aut Ministerium Ecclesiasticum est) dumque verba sua tanquam de cœlo dicta & venientia recipi vult. *Evehit supra stellas Dei thronum*, dum alios Doctores & Rectores Ecclesiæ quin & sanctorum conscientias sibi suisque præceptis submittit & subjicit. *In monte templi & condicti conventus considet*,

dum non in Ecclesiasticis solum sed & spiritualibus sibi directionem & legislationem attribuit. Sedet vero *& in latere septentrionali* apud altare, quum dispensat gratiam & expiationem omnem, quum Sacerdos expians ipse esse vult, quumque intercessor medius inter Deum & hominem esse creditur, eodem fere modo, quo altare inter Deum & homines medium est. *Ascendit hinc in celsa nubis*, Nubes, unde pluvia & rigatio, est emblema Apostolorum, Scripturæ, cunctique divini: *Illos* in successore primo Petri, quum adhuc viverent multi Apostoli, *istam* in expositione dispensatione & traditionibus, *hoc* vero in potestatis sacrilegæ arrogatione, sibi subjicit. Tandem & verè *altissimo assimilatur*, quum instar Dei in templo sedet, cornua agni sibi sumit, quin & agit atque colitur Numinis & Dei instar. Coincidit cum hac elatio descripta 2 *Thess.* 2: 4., ubi tres ejus enarrantur gradus: *Supereffert* 1. *se in omnem dictum Deum*, Tales erant olim Angeli vindices & Dii in Cathedra seu Seniores 1 *Cor.* 8: 6., quantacunque vero esset olim horum potentia, ipse tamen superare longe eos dignitate & authoritate vult. Extollit se 2. supra σέβασμα omne seu augustum & colendum; Quo nomine Principes & Magistratus veniunt, quos sibi subjicit, throno movet, pedibus calcat, anathemate ferit: quod *Petro* & *Judæ* est *doxas blasphemare*. Sed & *considet* 3. *in templo Dei tanquam Deus*; Sedet ibi ut Deus: sedet in specie, ut sedebat olim in templo V. T. Deus: Sedet in Ecclesia tanquam Deus, dum quasi per Urim rogatur, tanquam *os in cœlum positum Ps.* 73: 9., tanquam infallibilis interpres & judex omnium, dum in remissione peccatorum habenda adiri & conveniri vult, dum replere Ecclesiam gratiâ spiritu & donis suis vult, dum sub exsecratione adjurare legesque conscientiam obligantes dare præsumit, dum & adoratur tandem: Ita enim legitur de ejus adoratione sæpe, certe portatur Cardinalium humeris altarique imponitur, inquirunt itidem an ὑπερδουλεία an λατρεία colendus sit. Insignis item est locus *Ezech. XXVIII:* 2. 3. 4. coll. cum *vers* 12. 13. 14. 15. ubi de Rege Tyri, *Cor tuum exaltatur tanquam cor Dei: Dicis, ego sum Deus & sedeo in throno Dei, in medio maris. Censes te sapientiorem Daniele.* Non esse hoc caput de Tyro proprie dicta intelligendum

telligendum sed mysticâ eâ quæ *Apoc.* 18. *describitur* & quæstum sacrum exercet, hoc vel primo obtutu constat attendenti abunde; Neque enim Rex Tyri Ethnicæ erat in Eden Dei, neq; Cherub late expansus & conservans arcam, neq; inter lapides ignis, neq; absque macula in primo suo ortu, quemadmodum de hoc Rege *vers* 12. 13. 14. prædicatur: Neque posset illi mors præputiati & incircumcisi tanquam pœna proponi, cui ea propria & naturalis est, hoc vero *vers* 10. fit apertis verbis: Unde est Rex Mysticæ Tyri, qui sedem Romanam occupat & late quæstum facit: Ille enim fuit in primo ortu *immanulatus*, atque celebrabatur Romana fides per totum orbem: Ille item exstitit tunc *purum sigillum in manu Domini*, Habuit enim tunc Roma Martyres qui sanguine etiam suo veritatem doctrinæ Dei obsignarunt. At quæ est hujus Regis superbia? Videtur permitti ipsi à Deo hoc, quod hic Cherub late in monte Domini se extendit: Id vero redarguitur graviter, quod Daniele sapientior longe est, quod thronum Dei occupat, quin & ait ac dicit, *Deus sum.* In presente vero loco *Dan. XI.* 36. 37. 38. occurrunt hujus elationis partes quatuor. *a.* faciet pro voluntate sua Rex *b.* exaltabitur supra omnem Deum *c.* noc attendet ad Deum Patrum *d.* habebit suas potentias pro Deo.

IX.

Atque fastus hic, ut non subjectum ignotum versemus, conspicitur in nemine nisi Pontifice Romano, quem & singula comprobant esse AntiChristum; Nam ille 1. præ omni alio unice illud formale & proprium constitutivum AntiChristi in se exhibet, sedetque in Ecclesiâ & templo Dei tanquam Deus. Ille ipse 2. se AntiChristum i. e. Vicarium Christi in spiritualibus æque ac temporalibus facit, assumitque ad frontem cornua agni *Apoc.* 13. Ille non minus prætendit 3. munera illa pariter, à quibus Christus Christus & unctus est: Vult enim esse Propheta, Sacerdos, & Rex summus. Si 4. successionem ac sedem spectes, ille venit & successit in sedem priscam persequentis Draconis, quam & etiamnum tenet: ille item post exactos Exarchos unice venit: Quæ series pericopæ nostræ est, qua in primò Princeps Romanus introducitur, sed juxta illum Syrus deletus, post Syrum præses seu Exarchus, &

post

post Exarchos hic *Spretus*. 5. Conveniunt & in Pontificem Romanum criteria singula AntiChristi omnesque notæ, quemadmodum late persæpe à Theologis nostris demonstratum est. Expende 6. fata quæ in Prophetis de regno AntiChristi prædicuntur, ea nullibi nisi in Ecclesia Romana conspicies. Adde 7. his concomitantia, quæ unà cum Regno AntiChristi surgere & esse debebant: Ex his apparebit iterum non nisi de Romana Ecclesiâ cogitari hic posse. Omitto verba *Gregorii Magni* Episcopi Romani qui ex cathedra docens effatus, *Ego fidenter dico, Quicunque vult esse Episcopus œcumenicus, is in fastu suo est præcursor AntiChristi.* Non hoc adeo constare poterat tempore primorum Patrum, qui hinc & mire circa AntiChristum hallucinari visi sunt: Credebant enim aliqui Duce Hippolyto Diabolum ipsum futurum AntiChristum, qui non verum sed apparens corpus humanum circumlaturus sit: quæ opinio ex verbis, *& veniet cum operatione Satanæ*, originem sumpsit. Refellunt vero eam multis Hieronymus, Damascenus &c. Non minus incongrue ad *Neronem* referebant prisci, de quo & *Sulpitius Severus lib. 2. Sacr. hist. Nero creditur, etiamsi se ipse gladio transfixerit, curato vulnere ejus servatus, secundum illud quod de eo scriptum est in Apocalypsi cap. 13.*, & plaga mortis ejus curata est. *Idemque putatur sub finem seculi mittendus, ut mysterium iniquitatis exerceat.* Confer August: Lib. XX. de civitate Dei Cap. XIX. Qui hodie parcunt Ecclesiæ Pontificiæ, applicant id, quod legitur de AntiChristo, ad *Mahometem:* At non habet Mahometanus Clerus Imperium ac Regnum. Non sunt Mahometanæ Bestiæ decem imperia & cornua. Non sedet eâ in urbe, quæ tenebat regnum in omnes Reges terræ. Certe non sedet Mahomet in templo Dei & Christianismo tanquam Deus, sed agit plane extra illum, inter infideles. Neque convenit ullo modo duratio AntiChristi & bestiæ, quæ dies 1260. habet *Dan.* 7:25. *Apoc.* 13: 5., cum duratione Mahometis & parvi cornu versus orientem & meridiem, quæ ultra dies bis mille & trecentos extenditur *Dan.* 8: 14.

X.

At videndum propius quomodo fastus ille in pericopa nostra describatur; Neque enim censendum hic demum describi AntiChristum

Chriſtum ipſum & non faſtum ejus tantum: Fuit quippe in anterioribus modo de eo actum. Cenſent ita tamen Interpretes, namque novum prorſus hic inchoari argumentum opinantur vel ipſi Judæi: Putant enim Abarbenel, Jachiades, AbenEſra introduci Conſtantinum M. Alii, alios. Exiſtimant autem communiter Interpretes Chriſtiani Notæque Biblicæ hic ab Antiocho Epiphane tranſiri ad ſtatum Eccleſiæ N. T. ſub AntiChriſto: Quare & illud ה, quod eſt conjunctum cum voce Regis, non vertunt per *ille* Rex, ſed habent in genere pro ה emphatico, quod notet quaſi inſignem ac probe obſervandum Regem. At hoc ſine cauſa abit à communi vi ſignificandi quæ eſt in particula ה in locis illis ubi quid ſignificare debet. Neque convenit in his verbis prædicata multa ediſſerere, & ea quæ quis facere debeat enarrare, antequam modo in antecedentibus ſubjectum fuit determinatum & poſitum de quo hæc prædicata prædicantur. Certè novi Regis ſucceſſio & ortus apertis magè verbis in ſuperioribus exprimebatur. Tum & prophanatio Sanctuarii (de quâ modo in antecedentibus actum, & à qua in *cap.* 12. calculus initur) non niſi deſolatio Eccleſiæ per AntiChriſtum exiſtat: ex quo hinc evidens eſt de eo ideo ſuperius modo actum eſſe neceſſario debuiſſe. Hìc ideo occurrit ingens tantum, à quo deſcribitur, faſtus, Et *faciet, ut voluntas* (lubitus) *ejus, ille Rex.* Eadem Phraſis *Dan. VIII.* 4. *& Cap. XI.* 3. 16. legitur: at intelligitur iis locis per hæc verba Imperium prorſus abſolutum, Tyrannis, Dominatio corrupta ac licentioſa, denique, quod potiſſimum eſt, proſperitas & ſucceſſus fauſtus quo cuncta ex voto veniunt & efficiuntur. Eſt autem & AntiChriſto imperium prorſus abſolutum, quod vi perſvaſi Vicariatus Chriſti, vi ſucceſſionis in Petri ſedem, vi infallibilitatis dignitatisque Capitalis, in Eccleſia facillime obtinet & retinet. Succedunt & ipſi cuncta ex voto proſpere & feliciſſime, quod tam devota eſt ipſi plebs, tam ſedulus clerus, tam obnoxia temporalis Majeſtas, tam ingens in religioſo dominatio ac poteſtas. At ſunt potius in hoc loco verba propius ad AntiChriſti faſtum comparata, quo nimirum vult & jubet ſic, ut pro ratione ſtet ipſius voluntas: Facit autem pro voluntate ſuâ, dum ſcrinium infallibilis ſui pectoris laudat, dum ex eo ſua arbitria

& placita in traditionibus obtrudit & constituit, dum porro in iis licenter Dei legem tollit in eaque dispensat ἄνομος 2 *Th.* 2: 8.; dum & non permissum ad eum dicere, cur ita facis? Contrahunt summatim Parasiti inquiendo, quod Pontifex sit *supra jus, contra jus, & extra jus.* Dat potestas Magistralis patria & directionis libertatem cuncta, quæ ipsi commoda videntur, mutandi, statuendi. Non tamen sola hæc fastus descriptio est, quum pro voluntate facere dicitur: pertinet hoc ad ἀποστασίαν etiam, quæ non minus character AntiChristianismi est: Non AntiChristus ad normam ac regulam veritatis se adstringi patitur, sed deficit libere ac recedit à veritate ac norma ejus: Unde Apostasia illa magna & universalis ab ipso in Ecclesiam introducta, de qua 2 *Thes.* 2: 3. 1 *Tim.* 4: 1., illa ἀνομία ipsi attributa *Matth.* 24: 12., & quod appellatur *mater omnium scortationum & abominationum terræ Apoc.* 17: 5. Deficitur enim à veritate agni ad loquelas Draconis *Apoc.* 13: 11., à cathedra Christi ad Cathedram mutantem tempora & leges *Dan.* 7: 25., à fonte vero ad fontes siccos & elementa egena. Non adstringitur religiosè AntiChristus ad fidem, sed convertit eam & pietatem omnem in quæstum: Cumque violandum erat jus, regnandi causa id violatum fuit; Quod & adeo profecit, ut & ipsos testes obtexerit, occiderit, ac in plateas abjecerit, quum Scriptura ipsi est authoritate omni cassa, obscura, imperfecta, in judicio & decisione elinguis inepta ac muta. Non minus & tertius AntiChristianismi character scelerosa vita per verba, *& faciet pro voluntate sua Rex*, innuitur, dum vivit & facit vivere ut lubet: unde filius perditionis ac homo peccati est 2 *Thes.* 2: 3., & improbus *Esaj.* 11: 4., Vitis Sodomæ *Deut.* 32: 32. Ubi *Platinam* cæterosque scriptores de vitis Pontificum conferre oporteret. At & habet leviter peccata docetque peccare: Legatur *Taxa Cancellariæ Romanæ* quæ pretio levissimo redimit scelera quæque gravissima & ultimi supplicii crimina. Habe ex ungue leonem. *Absolutio pro eo qui in Ecclesia cognovit mulierem Gro. 6. Absolutio pro eo qui matrem sororem aut aliam consanguineam cognovit Gros. 5. Absolutio pro eo qui interfecit Patrem Matrem Fratrem Sororem aut consanguineum Laicum Gros. 6. Absolutio pro muliere quæ bibit potum, quo destruxit fœtum in utero vivificatum Gro. 5.*

Leguntur

Leguntur in Taxa Cancellar. Apostolicæ excusa Lutetiæ anno 1520.

XI.

Secundus AntiChristiani fastus gradus exprimitur *in genere*, quum se supra omnem Deum ac Deum Deorum evehere dicitur: Subjicitur autem *in specie* quod & supra Deum Patrum, Desiderium mulierum, & omnem Deum se efferet. Non exigua superbiæ species est, quod se ipsum exaltare dicitur, non vero magnitudinem suam obtinet à Deo qui in V. T. Oeconomia cœlum cathedræ dederat, neque à Principe temporali, qui similiter nunc in N. T. Ecclesiastica Ecclesiasticis ac idoneis Ministris cum authoritate curanda & expedienda caute & prudenter committit. At hic se ipsum evehit. Innuitur porro quod in illa sui ipsius evectione se parem Diis & Deo Deorum facit, qui fastus intolerandus est. Quod par Diis dictitiis *judæorum*, id arduum in N. T. est, ubi terram dedit filiis hominum *Ps.* 115., at obtinuit tamen, unde putant regnum ejus dici bestiam quæ fuit, non est, & tamen est. At hoc omnem superat fidem quod & cum Deo Deorum paria facere vult, quod facit tamen verè, quum sedet in templo Dei ut Deus, quum vicarius Christi esse vult, quum cornua agni prætendit, quum se summum Prophetam, Sacerdotem & Regem venditat, quum peccata remittit, quum adorari vult. Spectant & ad hanc paritatem cum Deo Deorum effata illa Canonistarum Patronorum Papalis omnipotentiæ: *Idem est Papæ Consistorium & tribunal cum Deo & Christo. Est Papæ data potestas omnis in cœlo & terra. Non potest à Papa appellari ad Deum.* Hinc dicitur de Rege Tyri *Ezech.* 28: 1. *Dixisti in corde, Ego sum Deus, & sedeo in throno Dei.* Hoc vero apex arrogantiæ est, quod & se efferat supra *omnem Deum*: Quum mentio fit de omni Deo, item de Deorum Deo, tum de Diis multis, denique & de Diis dictis & dictitiis, per id haud obscure subindicatur esse plures qui insigniuntur nomine Dei: Atque vere inter Gentiles gaudebant etiam eo nomine Angeli qui negotio alicui præfecti credebantur, Vis quæque rei à Deo profecta & excitata, Elementa præprimis è quibus constabant res cæteræ, Heroes qui Spiritu Dei pleni, divinitatis etiam majoris in præmio participes fiebant, Statuæ etiam Diis positæ, quas & per consecrationem di-

vinitate inhabitante replebant: Quæ sapientia & pietas Gentilium erat in qua stulti facti. Quod vero Vetus Test. attinet in eo erant Angeli & sedentes in cathedra *Dii Ps.* 8: 6. coll. cum *Hebr.* 2: 5.; Unde & veniunt appellatione *Cœli*, qui tempore novo magnitudinem suam extradere debebant venienti Christo Deo cœli ac in terrâ consistere *Ps.* 115.; Qui & erant verè Elohim sive in significatione *testis*, sive *adjurantis*, sive *execrantis*: Erat enim sermo vetus per angelos dictus, datusque in injunctiones Angelorum. Illi dictarunt eum sermonem in monte, quod Deo indigne tribuitur. Illi pro libitu constituerunt eum & addiderunt præcepta: quod enim Senioribus in cathedra, qui sepem ad legem addebant, licuit, id neque Angelis negandum est. Illi authoritate præsentiâ & Majestate suâ injunxerunt eum in cervices. Adjurare etiam ad obsequium poterant tunc Angeli, quia prior habitabilis erat tunc illis subjecta *Heb.* 2: 5., quum nunc sint ministratorii spiritus *Heb.* 1: 14. & conservi *Apoc.* 19: 10. Singulari vero ratione & execratio punitio ac vindicatio transgressionis illis erat demandata: unde timor ille apparente Angelo. Gaudebant vero & Seniores nomine Deorum, quod ex eorum labiis verbum infallibile Dei per Urim collectum manaret, quòd præcepta injungere, quod neglecta punire, quòd pro arbitrio coercere hæredem puerum poterant: At hi mortui sunt equidem *ut filii hominum* in N. T. *Ps.* 82: 7. Ibi remanet adhuc vox *cœli*, quoad Ministerium cum cœlo & pluviam & lucem in Ecclesiam, tanquam subjectam terram, demittit, sed periit ac interiit omnis divinitas Ecclesiastica, nisi quod nunc Reges ac Principes Deorum vicem & officia soli subeunt, qui hinc & Vicarii Dei dicuntur ac cum luna cœli comparantur: Sunt etiam illi Majestatis pleni atque exserunt libere jus vitæ ac necis; Ita Moses ante ceremonialem legem Aaroni Deus, ipse Aaron vero ejus Propheta. Ita 2 *Reg.* 24: 15. Supra omnem vero hunc Deum se evehet AntiChristus hic, sive Angelice sive Ecclesiastice sive Politice spectetur Deus. Longe major ejus potentia quam potentia Senioris aut Angeli in V. T. erat, Remissionem enim peccati sibi arrogat, sede ad latus Boreale altaris translatâ, coronam trinam in signum potestatis exsertæ in cœlo terra ac purgatorio gerit, claves

quibus

quibus claudere & aperire cœlum potest habet, Angelis præfecturas designat, Vicariatum filii Dei tenet, quum Angeli servi ac Ministri sunt, De Lege Dei dispensare illi liberum, quum olim per traditiones Seniorum & Angelorum non mandata Dei violare liceret, Spiritum & cuncta quæ sunt gratiæ dispensare & in manu sua habere gloriatur: Et quæ infinities plura sunt, in quibus potentiam Dei veteris temporis vincit & longe exsuperat. Quàm vero idem ille Hierarcha Majestates & Principes mundi deprimat, id coronarum deturbationes, pedum oscula, supplicum Cæsarum curvata crura, vilia Imperantium in mensa ac itinere Pontificis ministeria, abunde comprobant ac testatum faciunt. Collegit Rex Angliæ *Jacobus* in insigni *Apologia pro juramento fidelitatis* infanda illa cuncta quibus dignitas Principum externa petitur, ,quod Papæ liceat ,Principem regno deponere ex mera sua authoritate, quod possit ,de imperiis & regnis pro arbitrio statuere, quod possit Principi ,extraneo facultatem invadendi ditiones concedere, quod à jura- ,mento fidelitatis absolvere subditos queat, quod non sit liberum ,subdito perstare in obedientia erga Principem excommunicatum, ,quod liceatPrincipes à Papa excommunicatos impune occidere & ,obtruncare.

XII.

Neque ita solum in fastu contemnit dictum quemque Deum, sed & contra Deum Deorum loquitur stupenda. Habet particula עַל non unam significandi vim; Nativa illi & proxima significatio est *super*, *supra*, quia venit à עָלָה, *ascendit*, ad *supena ivit*. Dehinc significat *apud*, quemadmodum & Græcum ἐπὶ ut *Gen.* 14: 6. *Exod.* 14: 9. Significat vero etiam *contra*, quod facile ac pronum est & ex prima significatione sponte consequitur, qui enim se attollit supra aliquem, ille in tantum etiam illi obesse & contrariari nititur: Unde & perinde fere est in præsente loco per *supra* aut *contra* exponere. Juxta bestiam quæ ex *mari* prodiit, seu multitudinem corruptorum Christianorum sub Rege Politico Christiano constitutam, & ex Longobardis Germanis ac Saxonibus in loca terræ & Ecclesiæ venientibus enatam, ascendit etiam Bestia seu regnum in *terra* seu Ecclesiasticum, quod est Dominatio Ecclesiastica: Hoc

vero sibi facit imaginem seu caput aliquod, quod esse debet imago alios exhibens, seu Ecclesia repræsentativa; Neque facit simpliciter sed & dat imagini illi factæ *os ad loquendum*, i. e. facultatem singulari cum authoritate docendi, exponendi, decidendi, judicandi, præcipiendi *Apoc. XIII.* Inde attribuitur illi lingua loquens magna *Ps.* 12:4., qui & os in cœlum positum, quod de cœlo loquitur, cui hinc & plebs affluit *Ps.* 73:9. Loquitur secundum textum nostrum primò *supra* aut contra *Deum*, quod magis distincte exprimit Apocalypsis *cap. XXIII.* ubi dicitur bestia loqui *blasphemias contra Deum, ejus nomen, ejus tabernaculum, & habitantes in eo*; Blasphemat *contra Deum*, cui socios ac imagines in idololatria ponit, in cujus jura & Majestatem involat. *Contra nomen Dei* blasphemat, quod sunt partim scripturæ ipsæ, quas imperfectas mutas, obscuras, authoritate omni cassas facit, cum fabulis Æsopi, gladio plumbeo, sagittario in omnes aspicientes collimante comparat, partim veritates fundamentales in Scriptura contentæ: Ridet enim & exagitat justitiam imputatam, accusat providentiam, blasphemat salutis certitudinem & perseverantiam &c. Non minus evomit bestia blasphemias contra tabernaculum Dei, *sive* illud Christus sit cui AntiChristus è diametro adversatur, *sive* Ecclesia vera Dei, quam pro Diabolica hæretica damnatâ abominationis & impictatis omnis matrice, ac è fimo perditissimorum hominum demum nudius tertius enata habet. Loquitur vero & נפלאות; Vertit *Syrus grandia*, nimirum ob magnitudinem suam admirationem parientia, *in* arrogando, quum vult esse Vicarius Christi, Caput Ecclesiæ, Dominus Imperantium: *in* docendo, quum loquitur de cœlo: *in* judicando, quum sine inquisitione ejus verbis standum: *in* absolvendo, quum remittit peccata ut Deus: *in* præcipiendo, quum æquiparat statuta sua statutis Dei, perque ea conscientiam obligare vult sub pœna mortis: *in* dispensando denique & *in* obrogando ac contrariando, velut in calice cænæ videre est, *Licet aliter Christus instituerit, licet alio modo etiam praxis Ecclesiæ primæ observarit, tamen hoc non obstante nos interdicimus ac prohibemus:* At & exponit *Johannes* illa stupenda in Apocalypsi per blasphemias horrorem & stuporem abominabilem

bilem incutientes *cap.* 13. Habet illa Beſtia in capitibus nomina blasphemiæ *Apoc.* 13. Habet in corpore *Apoc.* 17. Loquitur & blasphemias. Sunt in capitibus, nomina Deorum, Divorum, Dei filiorum, Pontificum jovialium, quæ ſibi impoſuerunt priſci Imperantes: Conſpiciuntur & ibidem tituli, ſupremum in terris Numen, Summus Propheta, Sacerdos, & Rex, Caput Eccleſiæ, Sponſus Eccleſiæ. Reperiuntur & hæc nomina in beſtiæ corpore, *ſive* titulos & characteres verbales velis in abſtracto, *ſive* nomina & perſonas famoſas nominatas ac inſignes in concreto; Nimirum nomina Sacerdotum, Divorum, Virorum Evangelicæ perfectionis, Superogantium, Sanctorum, Religioſorum Franciſci Benedicti, Clericorum, Laicorum &c. Loquitur etiam blasphemias, quæ & appellantur loquelæ Draconis *Apoc. cap.* 13., quum crepat doctrinas ſpurias ac indecoras, Mediatores & Sanctos invocatos, idololatrias varias, quin & poteſtatem omnigenam in ſpiritualibus & rebus gratiæ. Neque abſonum porro eſt per *ſtupenda* illa intelligere portenta illa dogmatum, quæ vel infernus & Gentilis ſanus obſtupeat, qualia ſunt dogmata illa de miſſa, quum illud devorant quod adorant. Tum & non vetat propriè Miracula intelligere quæ *ille* jactat & venditat: Debebat enim imago beſtiæ *ignem cœlo elicere* poſſe *Apoc.* 13. Huc refer poteſtatem miraculoſe conſecrandi, vim gratia imprægnandi, quæ potiſſimum in elementis & Sacramentis (præprimis N. T. in quibus ſufficit opus operatum) conſpicitur, quæque & apud Prophetas Magiæ nomine venire ſolet.

XIII.

Subjicitur ſpeciatim 1. quod *ad Deum Patrum ſuorum non attendet*: Quod principiò apoſtaſia ipſi propria eſt, qua deficere à fide recepta & avitâ debet, tum eliſio gloriationis qua in Antiquitate gloriatur ſeque antiquorum ſapientum filium dicit, tum & evectio ſupra Majores & Deum ac cultum verum receptum. Gloriatur in Apoſtolis & Martyribus probis AntiChriſtus valde in *præſcriptione* & *ſenſu Catholico* ſeu *communi*, quæ duo illa compendia erant, per quæ priſcæ hæreſes fundamentum aliud ponentes coercebantur; at non pertingit ille cum ſuis doctrinis ad plenum

Eccleſiæ

Ecclesiæ Apostolicæ duodenarium, sive ætatem spectes sive extensionem; Unde numerus bestiæ è dimidiatis duodenariis & meris senariis constare legitur *Apoc.* 13. Relicto Deo & cultu majorum ad Gentilium & judæorum Sacra concessit, qui debebat filios Ecclesiæ vendere Græcis, & bestia esse quæ fuit & iterum surgit ex abisso, mutatis tempore ac lege *Joel.* 3:6. *Dan.* 7:25. 2. Conjungitur cum Deo Patrum Christus, *semen & desiderium mulierum*, cui è diametro tanquam AntiChristus adversatur: vult enim esse ipse vice & loco Christi, quin & Christus, unctus in Prophetam Sacerdotem ac Regem, habens & spiritum in sua potestate *Math.* 24:24. Et cum propriam justitiam in Ecclesia erigit ac defendit, certe id elatio directa contra Christum & desiderium mulierum existit. Negat & suo ac sano sensu *Jesum esse Christum* 1 *Joh.* 2:22, quin & *in carne venisse*, 1 *Joh.* 4:2.3. At & tollitur ab ipso 3. omnis Deus, atque ipse etiam *Spiritus Sanctus*: Quod non uno modo contingit. Quum enim Scripturam adeo subjicit deprimit & calumniatur, quid non spiritum, à quo est ea Scriptura, blasphemare censeatur? Quum vim Sanctificandi à viribus arbitrii & elementis Sacramentalibus exspectat, efferri contra spiritum ejusque operationem & gloriam deprehenditur: efficit enim per hoc ut homo vim suam faciat pro Deo, & post elementa mundi fornicetur. Quum & conscientiæ convictæ à spiritu dominatur supra spiritum se evehere comperitur. Adde quod ipse in templo Dei se authorem & fontem primum omnis gratiæ constituit, quod secus à Spiritu petitur.

XIV.

At hic tertius AntiChristiani fastus gradus est, quo se Deum constituit ac objicit: quod quidem non verbis disertis in loco exprimitur, at evidenter ac perspicue satis intelligitur; quum enim Deum *petræ ac munitionis* & quidem in *sede sua* coli vult, per hoc ad se cultum refert ac traducit omnem. Hinc dicitur in templo Dei sedere tanquam *Deus & se demonstrare Deum* 2 *Th.* 2:5. Sedet vero ibi quà Deus, dum responsa tanquam oraculum infallibile dat, quemadmodum olim in templo ad Urim ac Thummim fiebat, dum &, sede ad latus Boreale super altari collocata, expiationem

tionem & peccati remissionem dispensat, quod itidem unice est Dei, dum & ipse tanquam principium & caput gratiam ac spiritum omnem in Ecclesiam tanquam membra transfundit. Ob eandem causam dicitur & *Christus Math.* 24: 24., qui & ostendit ac gerit cornua agni; Vult enim esse unctus in summum Sacerdotem, Prophetam, ac Regem: Gloriatur etiam se habere spiritum & gratiam spiritualem omnem in sua potestate. Qualis autem sit ille Deus, indicatur quum dicitur, *& Deum roborum in statione sua honorabit*, & quidem *auro argento ac desiderabilibus*. Notatur 1. non esse Deum proprie dictum aut *naturâ* Deum, sed Deum qui à *potestate* excellente Deus dicitur: quemadmodum ita olim Seniores in Cathedrâ Dii erant, & nunc Magistratus Dii: quomodo & secus vox Dei improprie usurpatur de eo in quo fiducia collocatur, quemadmodum est Mammon Deus, aut de eo à quo salus exspectatur, prout *Venter* è quo prodierunt, seu Abraham Pater generans, judæorum incredulorum ac in carne gloriantium censetur Deus *Phil.* 3: 19. At & perpende 2. Deum Magnusim *robora & potentias* Romanæ sedis tam in temporalibus quam spiritualibus & sacris subinnuere, quæ hinc efficiunt, ut ab eo tanquam Deo cuncta sperentur ac petantur. Adde his 3. *Magnos*, in significatione roboris ac *Petræ*, venuste exprimere Petrum N. T. Deum, qui Romæ, itidem à robore dictæ secundum aliquos, habeat suam stationem ac sedem, & qui claves teneat ac in successores derivet, quibus aperitur & reseratur regnum cœlorum. Nota saltem est gloriatio in sede *petrina*. Atque debere sic per Magnussim *robora* intelligi, non vero id certum aliquod Dei nomen esse, id constat satis 1. ex eo quod dicitur de munitione harum munitionum, tum & 2. ex distinctione, quâ aperte distinguitur à Deo peregrino. Neque vero debet simpliciter promovere cultum ac Deum Magnussim, sed *in statione ac sede suâ*; Quod 1. Romanam sedem initiat, quæ & hinc unice laudatur aditur & petitur 2. loca alia à simili prærogativa & dignitate excludit 3. dignitatem eam ad Pontifices, utpote in ea sede successores, remittit & transfert. Distinguit Propheta *Magnussim* & *Deum peregrinum*, quæ duo & ab invicem distincta vere sunt: Aliud est enim potentia, aliud Deus ex illa

potentia aut administratione potentiæ proveniens & factus: aliud item potentia in abstracto, aliud subjectum illud quod eam in se habet & exserit. Potentia hæc *in plurali* expressa & multas, & diverse multas potentias dicit, Spiritualem nempe, Ecclesiasticam, & Politicam: quemadmodum Deitas pleni nominis Ecclesiastica & Politica in eo reperitur; Est hæc præprimis Divina ejus potentia, qua Christus esse vult, quâ peccata remittit, quâ cœlum claudit ac aperit, quâ gratiam & spiritum omnem derivat, quâ Caput esse vult. Non vero hæc ultimatò est id quod intendit, sed quærit ac venatur per eam temporalia quæque & Regna mundi; Per hæc enim obtinuit facile, ut subjicerentur sponte Episcopi alii ac Reges & Imperantes Christiani, qui facile Petro assurgunt & Vicario Christi. Non obstat, *quod sic ipse Rex futurus ille Deus honoratus*, Nam 1. ita debebat in sede suâ honorari. 2. Qui se supra omnes Deos evehit, ille non potest Deum habere, nisi se. 3. Spectanda etiam hæc potentia & Divinitas tanquam res Christi, Petri, & sedis, quam ille defendit, sive ea in se sit, sive antecessore, sive successore: Convenit hic distinctio, quâ Papam qua hominem spectant & quâ Papam. At & *omnes illi qui eam communiunt & defendunt* non sine præmio abire conspiciuntur, quod triplex est; *Multiplicatur enim ipsis honor*, quum ad dignitates & prærogativas insignes evehuntur, sic ut *Mercatores hi Principes fiant Esaj.* 23: 8. Conceditur & jurisdictio, quum *dominantur in multis*. Adduntur denique jurisdictioni, provinciæ, possessiones, ac latifundia, quum *terram his distribuit pro præmio*; Quod hinc ita semper in hominibus Pontifici obnoxiis videre fuit: Promoverunt insigniter Pontificis res *Phocas*, *Carolus M.*, *Otto M.*, *Rudolphus* Habspurgensis, aliique Imperantes, translatum & in eos fuit Pontificis ope Imperium Romanum: Navant Pontifici indefessam operam Religiosi cuncti in Monasteriis, non Episcopis sed Pontifici subjecti, hinc & lautissimè habentur ab eo tanquam filii chari: Obstrinxerunt præ cæteris se *Jesuitæ* per quartum votum Pontifici, unde & his præ cunctis prærogativæ conceduntur & exemptiones amplissimæ. His adde exempta cathedralia capitula, exemptas Academias, exemptos suffraganeos, quibus nemo nisi Pontifex imperat. Præterea

terea *Canonistæ*, distincti à *Theologis* & *Politicis* regimini seculari nimium faventibus, immensum in modum Papalem augent omnipotentiam: At his etiam Episcopatus & Cardinalatus conferuntur protinus. Neque prætereundi hic Cardinales, Consiliarii & amici Pontificis intimi; Quantum enim his pro operâ indefesse Episcopo Romano navatâ fuerit datum præmium, id apparet satis ex splendore eorum moderno comparato cum prisca exiguitate & tenuitate: Qui enim olint erant Presbyteri & Diaconi Romani Episcopi, nunc longe Archiepiscopis & Patriarchis prælatos vides. Creverunt non minus jura; Quum enim olim clerus & plebs Romana eligeret Papam, quem aut confirmabat aut rejiciebat Imperator, nunc id eligendi jus plene cessit Cardinalibus, præcipiente primum Nicolao II. anno 1059., tum Innocentio II. anno 1135., denique & Alexandro III. anno 1159. Et ne quid deesset honoris ac gloriæ his acerrimis omnipotentiæ Papalis Patronis, Dignitatem Cardinalatus post Papalem supremam declararunt Innocentius IV. anno 1242., Gregorius X. anno 1271., Clemens V. anno 1305., Paulus II. anno 1464.

XV.

His præmissis videndum nunc curatius, quid sit *Mulierum Desiderium*, quid & *Deus Mausim*, quæ duo sunt tractationis hujus nostræ argumentum.

XVI.

Non tamen in Desiderium Mulierum inquirimus, antequam versio & expositio spuria prius eliminata est. Interpretatur *Vulgata*, *Et erit in concupiscentiis fœminarum*: quo pacto AntiChristianismum plane à Pontifice Romano demoliti sibi esse videntur, vel ad minimum pericopam hanc unice retulisse ad Antiochum Epiphanem, utpote qui obscœnitate libidinum adeo infamis fuerit, ut post stupra continua etiam scortis publice commisceretur & libidinem populo præsente compleret, qui & secundum historiam Maccab. concubinæ uni dono dederit Tharsenses & Mallotas populos, inter quos hinc & seditio concitata fuerit. Amplectitur *Pererius* ambabus manibus versionem utramque & affirmativam & negativam, plaudens & exultans multùm quod hic reperit exem-

plum tantæ ambiguitatis, ut in ea non solùm sit sensus multus sed & contrarius, quem & ad rem transfert ac retinet. In hunc enim modum ille commentatur; *Hæc autem lectionum varietas nata est ex ambiguitate Scripturæ Hebraicæ: quæ, si verbum ex verbo exprimas, hunc reddit sensum,* super Deum Patrum suorum non intelliget: Et super concupiscentias fœminarum, & super omnem Deum non intelliget; *In his verbis negatio illa,* non intelliget, *potest referri ad primum tantum membrum orationis, ita ut secundum membrum proximè consequens,* super concupiscentias fœminarum, *relinquatur affirmatum, & subintelligatur verbum,* intelliget. *Potest etiam illa negatio,* non intelliget, *extendi ad proxime sequens membrum,* & super concupiscentias mulierum, *ipsumque pariter atque primum membrum negare. Ex hac igitur lectionis ambiguitate duplex lectio atque interpretatio exstitit. Adnotarunt quidam magno Sp. S. Consilio Scripturam hìc esse ambiguam, ut de AntiChristo contrarias sententias posset reddere, quia utrumque convenit in AntiChristum: Nam intimis animi sensibus supra omnes erit libidinosus, externâ vero conversatione castimoniam mentietur: Item, principio continentiam simulabit, quoad potentiam & imperium sibi comparaverit, post in omni genere libidinis volutabitur: Atque hujus sententiæ Carthusianus auctorem laudat D. Augustinum.* At de Versione non laborandum multùm, quum ea legenti satis pateat & obvia sit.

XVII.

Occurrunt verò potissimum quatuor Expositiones spuriæ, quæ pariter rejiciendæ: (nugamenta enim *Salomonis Jarchi*, qui de Synagoga formosa Israëlis intelligit, insuper habentur.) Expositio prima est, quæ verbis his sævitiem exprimi non absurdum censet; Ita enim *Geierus* in loc. *Interea non diffitebimur hoc modo sævitiem quoque persecutoris unà cum ambitione summa quodammodo expressam esse, qua flecti se nequaquam passus est lamentabili sexus debilioris sorte: verùm promiscue tam fœminas quam viros crudeliter affligi interimique curavit, utut aliàs amabilis fœminarum conditio plus sui desiderium quàm odium soleat excitare: adeoque, ubi ursit ambitio, ibi nec Deus aut Sacra nec fœmina aut voluptuaria obstiterunt ipsi.* 1 *Mac.* 1: 27. 63. 2 *Macc.* 5: 15. Refert ad uxores proprias

Polanus,

Polanus, existimat enim non movendum uxorum suarum precibus, ut à cæpto desistat, sed in sacrorum omnium eversione procacissime perrecturum. Ad alia vero contendit *Oecolampadius*, qui Lunam seu Venerem Reginam cœli *Jer.* 44: 15. 17. ab hoc Rege non colendam esse autumat. Maximam vero gerit speciem expositio communis, quæ de contemptu conjugii per votum castitatis & legem cœlibatus interpretatur, quemadmodum & hoc conjugii interdictum à spiritu diserte prædictum esse apertis verbis denunciatur 1*Tim.* 4: 3. At ubi inquiunt; nisi in hoc Danielis loco. Adeo incerte vagamur & vagari oportet, quamdiu nondum filum veritatis prehensum est.

XVIII.

At, quod pace Theologorum omnium dixerim, nemo hactenus sensum verum loci vel divinando assecutus fuit. Concedo cœlibatum, urgentibus præprimis *Siricio*, *Innocentio*, *Gregorio* & *Hildebrando* Papis, in Ecclesiam Romanam receptum esse, at 1. ex politica magis quam divina consideratione: Ita enim largius donatur Clero, quam si donata in privatum familiæ usum converti cernuntur, Ita fidelius etiam curatur Ecclesiæ res, quam si necessitudo familiam curandi etiam adigit, Ita liberius etiam subest Clerus Pontifici Romano, qui secus per & propter familiam etiam quovis modo Magistratui seculari obnoxius est, aut sponte se obnoxium facit. Addo vero 2. non sine insigni rei politicæ & privatæ damno receptum hunc cœlibatum esse: Quum enim non ad hæredes devolvit provinciam Princeps seu Episcopus cœlebs Ecclesiasticus, neque conservat eam sollicite satis, neque parcit illi ullo modo tempore brevis regnationis; Ex quo hinc & publica imperii & privata subjectorum res multum patitur ac ferre debet. Unde & ArchiEpiscopatus Colonienſis toties in manu hostis Imperii hoc nostro tempore visus fuit. Quod vero præcipuum 3. est, non hic præsens locus ad cœlibatum illum referri potest.

XIX.

Neque id verba 1*Tim.* 4: 3. evincunt. Nam 1. agit ille locus de temporibus *Timothei* & erroribus iis de quibus Timotheus in domo Dei monere debebat, qui certe non fuerunt Pontificii 2. No-

tandum hanc esse monitionem spiritus non factam in loco nostro Danielis, sed quæ tunc temporis Apostolis obvenit: quemadmodum abunde constat ex eo quod *Daniel* de abstinentia ciborum mentionem faciat nullam, quam tamen hic simul à spiritu prædici contextus fert. Atque differunt etiam 3. prohibere simpliciter conjugium, & clero tantum non permittere: Hoc non Pontificiis est adeo proprium, quàm quidem erat priscis hæreticis, de quibus in Paulino loco agitur, quales erant *Simoniani* qui indifferenter utebantur fœminis: Transiit hinc ad *Gnosticos* & præsertim *Saturnilum* primarium ejus sectæ Magistrum: Gnosticorum ἀποσπασμα fuerunt *Nicolaitæ*: Fuit & hæc corruptio in *Marcionitis*: A Marcione verò didicerunt *Encratitæ*, de quibus *Augustinus Libr. ad quod vult Deum. Nuptias damnant, atque omnino eas pares fornicationibus & aliis corruptionibus faciunt, nec recipiunt in suorum numerum conjugio utentem sive marem sive fœminam.*

XX.

Equidem ita verè est quod jam tempore *Constantini* Virginitas ac cœlibatus multùm valuit, quanquam ante lege Papia & Julia in favorem conjugii ac odium cœlibatus decretum esset: Neque enim aliquando hæreditatem adire cœlibi licebat. Fateor item in Ecclesiâ primâ miram virginitatis laudem semper exstitisse, postquam *Paulus* Apostolus ex ratione temporum durorum illam valde commendaverat: Attribuit Epiphanius Expos. Fid. Num. XXI. Virginibus primum locum, παρθενία *dicitur in Ecclesia* κρηπὶς καὶ βαθμὸς, *proximam huic laudat* μονότητα, *tertiò* ἐγκράτειαν, *quarto* χηροσύνην, *denique* σεμνὸν γαμὸν. Erantque tunc Virgines duplicis generis: Quædam absque voto agebant in ædibus suis contempto sæculo, velo notæ quum egrediebantur: Quædam verò se penitus à virorum oculis removebant ac in Monasteriis vitam agebant, postquam initio diu in eremo victitatum esset: de quo *Ruffinus in Vit. Monach. Ægypt. Commanent per eremum dispersi & separati cellulis: Ob hoc autem dirimuntur habitaculis, ut in silentii quiete ac intentione mentes divina sectantes nec vox aliqua nec occursus ullus aut sermo aliquis otiosus interturbet. Sunt alii in suburbanis locis, alii per rura, plures autem per eremum dispersi.* At

quod

quod primum ex duritia persecutionum & temporum tum & ministerio Diaconiæ obtinuit, id post invalescente superstitione ex intrinseca bonitate rei, denique ingruente Ecclesiastica Tyrannide ob commoditatem Imperii Ecclesiastici cæpit mordicus injungi ac defendi.

XXI.

Non tamen hinc præsente loco *Desiderium Mulierum*, neglectum ab AntiChristo Conjugium, sed potius ab eodem pariter contemptus Christus, *Semen Mulieris*, est. Quod hæc solida confirmant fundamenta 1. quia conjungitur, & quidem loco medio positum, contemptis ab AntiChristo Diis, Deo Patrum, Deo omni, unde & ipsum jure merito de Deo & Diis intelligitur, quibus accensetur. Occurrit adhæc 2. tanquam indicium singularis elationis, in textu; Hoc iterum fastigium numinis ac excelsi Dei importat; Conjugii enim neglectus non elatio super cuncta se magnificans appellari potest. Tum & 3. verbis *de Mulierum Desiderio neglecto* subjicitur immediate hoc tanquam emanans inde consectarium *neque ad ullum Deum attendet sed super omnia se magnificabit*: Quæ summaria conclusio infert etiam antecedentia verba de numine, supra quod elatio fit, intelligi ac sumi debere; Neque enim secus ansa & dictio opportuna foret subjicere & concludere, *neque ad ullum Deum attendet*. Neque prætereundum 4. uno constructionis verbo conjungi *vers* 37., neque ad Desiderium Mulierum neque ad ullum Deum *attendet*: Ubi & infert vocula ipsa *ullus* Deus, simul necessario & in neglectu Desiderii Mulierum de Deo debuisse esse actum. Adde 5. ne in re perspicua & evidenti argumenta cumulemus, opposita hisce de Diis meris *vers* 38. loqui, quos ipse contrà cultu prosecuturus sit: Quod itidem secundum leges justæ oppositionis minime fieret, siquidem & in prioribus non simul de Deo & Diis fuisset actum. Ne 6. adjiciam esse quam proxime de ratione AntiChristi, quà talis, Christo & Semini desiderato mulieris adversari: quod hinc minime censendum est fuisse à Daniele neglectum & omissum. Accedit, haudquaquam à clero AntiChristi abesse libidinem & desiderium ac usum mulierum, quanquam Conjugium non permittatur.

XXII. Non

XXII.

Non una est secundùm idiomatis Hebræi genium significatio constructioni illi, quam exhibet phrasis aut potius nomen, *Desiderium Mulierum*: Adnotat varias *Geierus* in Commentario, at veram non attingit; Ita enim ille: *Objectum est* חמדת Desiderium Mulierum, *quod diversimode accipi potest*, vel *subjective*, *ita ut posterior Genitivus exprimat subjectum inhæsionis*, *idemque sit ac desiderium quod est in mulieribus erga aliquid aut aliquem*, vel *objective*, *quod desiderium versatur circa mulieres aut ad eas vergit*, vel *qualitative*, *ita ut desiderium mulierum ponatur pro mulieribus desiderabilibus*, vel *Genitivus posterior designare etiam potest desiderii causam efficientem*, *quod mulieres illud excitent in viris*. Quod & applicat ac transfert ad subjectum. *Sensus igitur præsentis nostri textus erit*: *Tyrannus hactenus descriptus non attendet ad id quod desiderant fœminæ vel uxores*, *h. e. non curabit honestum matrimonium*: *non æstimabit uxores desiderabiles*, *verùm simulaturus est castitatem*. Non colligit significata cuncta hæc expositio. Non exprimit ea quæ præsenti conveniunt loco. Neque interpretatur τὸ *desiderium* plene ac rite. Hoc sæpe *adjective* sumitur pro re desiderata, *terminative* etiam in quo figitur desiderium. Quum verò Mulierum Desiderium dicitur, id vel est desideratum ex mulieribus oriundum, vel etiam desideratum quod à mulieribus expetitum: Uterque sensus ultimus, & quidem conjunctim, congruit appositè cum nostro loco: Confirmant vero hanc constructionis expositionem varia Scripturæ Sacræ parallela; Ita *Ezech.* 26: 16. est Prophetæ uxor *Desiderium* seu desideratum *oculorum*. Ita legimus *Hag.* 2: 7. de desiderio seu desiderato Gentium, quod an Christus sit, an vero potius ipsa desiderata hæreditas mundi ac Gentium, in medio relinquimus. Confer & 1 *Sam.* 9: 20., ubi de Saule dicitur, cujus *erit desiderium totius Israëlis*, i. e. qui habebit & in se derivabit desiderium totius Israëli: ubi alluditur forte ad *Saulis* nomen, quod notat eum qui expetitus & desideratus est.

XXIII.

Unde & non unâ ratione est Christus Desiderium Mulierum; Nam 1. est ille id desiderabile ac gratum, quod descendit & exspectatur

spectatur ex mulieribus aut sexu mulierum: Quid enim vulgatum magis quàm quod Christus non ex viro provenit, sed est Mulieris Semen? Dicitur & ita 2. quod Christus est illud acceptum & desiderabile in sexu muliebri: Fuerat ille sexus sequior ærumna & clades humani generis, quum peccatum per eum introiit in mundum, at per liberorum editionem fit ille & sibi & aliis iterum salus 1 *Tim.* 2:15. Unde & חוה *Chavvah vita* seu *vitæ radix* à viro ipso appellatur *Gen.* 3: 20. Neque absonum est 3. Christo hinc illud nomen attribuere, quod ipsum speciatim desiderarunt *Mulieres*; Hæ enim præ viris voluerunt enixe esse matres proximæ aut remotæ Messiæ, quanquam votum hoc primitus cum infirmitate & ignorantiâ conjunctum esset: Existimabat enim olim Eva & id primo partu sibi dandum, & eo etiam partu quem à viro susceperat; Etenim ad Caini acquisitionem exclamat lætabunda mater, nomenque spei plena designat. Excellit tamen inter has prima significandi ratio, quæ Christum ratione originis, quâ descendit ex sexu muliebri, *Desiderium Mulierum* dicit.

XXIV.

Equidem varia gerit ille ab origine petita nomina: Exprimitur enim aliquando origo generis, velut quum homo & filius hominis appellatur: indicatur & quandoque origo tribus, quando Juda & Leo ex tribu Juda vocatur: quandoque familiæ, ut in nomine David, filii David, surculi *Jesse*: aliquando loci, vocatur enim & Jesus à Nazareth ac Ben næzær. Supergreditur vero has omnes appellationes ea nostra, quæ significantissima singularitate eum ex sexu muliebri deducit, & Desiderium seu Semen Mulierum facit. Apposite dicitur אדם *Homo*, & בן אדם *Filius hominis Ps.* 8: 5. Est Adam ac *homo* Christus, quoad ipse unus est omnis qui in eo continetur: unde & Adam est, quòd cum primo homine Adamo similiter est caput humani generis & persona publica in qua alii agunt & censentur. Ne tamen putaretur esse de classe humani generis, dicitur iterum *filius hominis* seu humani generis, quo tamen & ἀπατεία Christi veniebat, ut qui certum Patrem non nominet vel nominare queat, sed in genere hominis filius existat. Alia nunc omittimus. Imponitur vero & Ezechieli in visionibus

hoc epitetum, *sive* quod per hoc distingueretur opportune à Deo & Filiis Deorum qui ibi occurrebant, *sive* quod hæc perpensa origo fastum & elationem omnem in Divinæ familiaritatis viro decenter reprimeret: Hominis enim, quin Adami lapsi hominis, necnon Adami ex rubra terra prodeuntis hominis filius esse hoc nomine audito admonebatur. Designatur vero propius origo Christi, quum non viri sed *Mulieris* Desiderium & semen vocatur. Quod *Ben Nazar* eum Rabbini ab olim vocant, id vel ex calumnia, vel ex ortu Jesu nostri Nazareni, vel ex antiqua Prophetarum hoc prædicentium famâ deductum est ac descendit. Loquitur de eo nomine *Bereschit Rabba Sect. 36., Talmud in Cetubhoth, Jalkut in Danielem.* Exponit vero Isaac Abarbenel secundum Rabbinorum mentem diserte de Christo, ראה גם איך פירשו אותו הקרן אחרי זעירא על בן נצר שהוא ישוע הנוצרי. *Ecce vero quomodo poponant cornu illud aliud parvum de Ben Nazar, qui est Jesus Nazarenus.* Quum vero apud Mattheum cap. 2. ad Prophetas complendos Nazaretham petiisse legitur quò sic impleretur dictum Nazyreus vocabitur, id non tanquam proximum ac plenum complementum spectari debet, neque ad nomen quà nomen referri, sed considerari potius tanquam tale quid, quod suo modo ad *germen*, quod Christus debebat esse, facit illudque indigitat נצר: enim ad *germinis* significationem spectat.

XXV.

Est verè Christus illud desiderabile, quod & desideratum semper est. Est in se totus desiderabilis, sive in persona spectes, sive officio, sive bono & donis. Unde & fuit semper desideratus initio primi mundi ab Eva pariente, in fine ejusdem mundi à Lamecho qui Noacho edito exultat, postquam Enoch de judicio prædicaverat ac fine imminente. Desiderarunt omnes Patriarchæ, at promissionem non adepti sunt *Heb.* 11:13., exclamat in mortuali lectulo Jacobus, *salutare tuum exspecto Gen.* 49:18. Desiderarint Prophetæ Reges & justi ac non viderunt, puta Christum in carne, in ore, in opere, ac in regno *Luc.* 10:24. Huc facit epitetum quod gerit, quum exspectatio Israëlis dicitur. Huc faciebat specula, in quâ stabant ac prospectabant auroræ ac diei exortum

Ps. 130:

Ps. 130:6. Huc pertinebant signa temporum, è quibus dignoscere debebant num instaret adventus, num adesset, aut num præteriisset *Matth.* 16:3. Adde & nomen vigilum ac speculatorum tunc illis, qui præerant, impositum ac datum *Jes.* 21:11. Desiderabant sub tempore promissionis, quòd tunc bona & V. & N. T. essent in promissis: at manebat sitis hæc & non restinguebatur. Intendebatur & acuebatur potius per Oeconomiam Veteris Testamenti, quum ejus onera & juga non deberent finiri & cessare nisi Christo præsente, umbrarum cunctarum corpore: Unde & fideles V. T. antesperantes sunt *vincti exspectationis in lacu in quo non erat aqua Zach.* 9:11., atque Ecclesia ipsa sitiens, quæ non confundenda cum ebria irrigua & satiata *Deut.* 29:19.; quod tamen secus à Judæis fit, perduravit enim hæc sitis & spes enixa quâ Messiam desiderant, *vagantur enim famelici ac sitientes, prospicientes nunc cœlum sursum nunc terram deorsum Esaj.* 7:28., donec præ desperatione fere desinat hoc sero tempore ipsis esse Messias desiderabilis: Ne enim porro ludibrium debeant maledicunt computanti tempora, inquientes *Rumpantur ilia illis, qui computant porro.* Item, *veniat, at anima mea non videat eum.* Quin & desiit nunc iis fere articulus de Messia esse articulus fidei fundamentalis ac fundamentum. A quo enim *Joseph Albo* scripsit Librum עקרים *Radicum seu fundamentorum* credita sunt contractius tria fidei fundamenta, *Existentia Dei, Lex de Cœlo, ac præmium & pœna*, quæ tria credita sufficiant Judæo ad fidem & salutem. Carpit & vehementer Albo *Orat.* 1. *cap.* 3. *Majemonidem*, qui 13. posuerat fidei fundamenta, quorum penultimum continebat adventum Messiæ: Inquit enim *loc. cit.* Albo זה האיש לא שת לבו להבין מלת עקר *Non applicuit ille homo animum, ut intelligeret quid sit vox Gnikar*, Pergit *cap.* 4. ביאת המשיח הוא עקר פרטי התורה לפי דעת בם ולפי דעתנו אין ביאת המשיח עקר: *Adventus Messiæ particulare fundamentum est legis Mosaicæ juxta sententiam Majemonidis, at verò secundum nostram sententiam non est fundamentum.* Explanat vero mentem clarissime ead. Orat. 1. *cap.* 23., qua dicit esse ענף מסתעף מן העקר השלישי שהוא השכר: *fidei ramum ex tertia radice progerminantem quæ est merces.*

Quum enim Albo tertiam fidei radicem facit præmium ac bonum, Messias autem etiam ipsis est præmium externæ felicicatis Israëli pœnitenti promissum, hinc non pro radice sed ramo quodam ex radice tertiâ prodeunte habere tenetur.

XXVI.

Ex muliere nasci, secus est mali commatis & ominis, indiciumque certum derivatæ impuritatis deficientisque justitiæ: Unde profantur & confitentur libere Sacri Scriptores *justificari non posse coram Deo* filios hominis *natos muliere Job.* 14:1. & 15:14. Supponitur, mulierem esse originem & fontem primum omnis impuritatis, tum & in ipsius damnatione simul damnatam omnem posteritatem *Gen.* 3:16. *Ad mulierem dixit, multiplicando multiplicabo dolorem tuum, & conceptionem tuam: In dolore paries liberos.* Unde, nec mundus, nec justus, ex muliere nasci vel prodire potest.

XXVII.

At hæc, ex qua Christus *Desiderium Mulierum* prodit, non est mulier quæ vi naturæ carnis & sanguinis in conjugio parit, sed talis quæ virum non cognovit; Unde Mulierum Desiderium, idem ac *tantum Mulierum.* Ringuntur hic Judæi, vocesque עלמה נקבה נשים in hoc negotio de Matre Christi usurpatas in genere sexus fœminei ac Virginum indices notas esse non ferunt: Ad maritatas enim & uxores eas detorquent pariter. At quâ vi pravâ & quàm absurde, id vel obiter intuenti apparet. נשים, *Nascshim* dicuntur mulieres ab *oblivione*, eò quod sunt oblivio familiæ & nominis paterni: quum enim in conjugio assumunt nomen viri cum quo conjunguntur, perit memoria nominis quod iis ex nativitate patrium est. Confirmat hanc expositionem oppositum זכר, *Sachar*, quod *Virum* seu *Masculum* significat, & vi nativa vocis *memoria* & *recordatio* est, quippe viget & servatur in masculis memoria ac nomen familiæ & Patrum. Quod imitantur Græci quibus ἀπεκνία est *oblivio.* At quis non videt hoc unice discrimen *sexus* tangere qui similiter in non conjugatis fœminis est, non vero statum conjugii & cœlibatus indigitare: Quemadmodum & *Sachar* in genere *Virum* non uxoratum Virum significat, qui & æque extra conjugium quam in eo memoria & conservatio

servatio familiæ existit; Vide *Lev.* 12: 2. ubi & masculus in partu dicitur *Sachar*, cui *Naschim* opponuntur æquâ lege, quæ & passim in Sacris in genere sexum muliebrem designant, vid. *Jud.* 21: 14. *coll. cum vers.* 11. &c. Atque in hoc loco nostro vel ipsa res docet non mulierem, cum quâ vir est, intelligi, sic enim non ratio futura foret ob quam in specie *Mulierum* Desiderium vocaretur. Locus *Jeremiæ cap.* 31: 22. hunc Christum à נקבה *Nekebha* i. e. *fœmina* deducit; Torquet omni nisu *Lipman. in Nizach.* seu *Victor.* causaturque *Nekebhah* tantum significare uxoratam, eo quod vi etymi significet *perforatam*, puta à viro qui perforavit: Ita enim ille ad hunc locum לא כתיב בתולה תסובב גבר נקבה נקובה *Non scriptum est, virgo ambit virum, Nekebha autem est perforata.* Concedamus verpo à *perforatione* & נקב descendere nomen, at foramen vulvæ concipiendum hic, quo & distinguitur fœmella à viro: Quod ad oculum ex *Levit.* 12: 5. evidens est, ubi & de femella recens in partu edita hoc nomen prædicatur, ואם תלד נקבה *Et si pariet femellam* seu Nekebhah; Quod pertinaciam ipsam satis superque domat. Significantissime autem *Es.* 7: 14. עלמה *virgo* Christum parere dicitur. Non evadunt quum עלמה *Gnalma* etiam uxorem juvenem denotare dicunt: At ne quidem per umbram hoc ostendent. Obest apertè significatio quæ *latentem*, *absconditam*, & non *retectam* adhuc significat, quod de virgine unice & non uxoratâ verat. Hoc idem autem quod excipiunt jam olim fuit objectum *Hieronymo* ut patet ex *Lib.* 1. *adversus Jovinianum*, & Commentario in cap. 7. *Esajæ*, *Scio* inquit *Judæos opponere solere* עלמה *non virginem sonare sed adolescentulam*: *Verum refragatur primò origo & vis vocis*; *Significat enim ea absconditam, latentem, quæ nec in publico nota, nec palam nuptum educta, nec à viro ullo retecta unquam est*: Ut hinc non simpliciter virginem sed absconditam adhæc virginem significet: Quales κατακλείστας recluſas dicebant: Vocabatur & hinc virgo talis θαλαμευομένη; Unde *Xenoph. in Polit. Lacad.* αἰδημονέστερος τῶν ἐν τοῖς θαλάμοις παρθένων, *verecundior illis virginibus, quæ in thalamis degunt.* Hinc & Phocylides, παρθενικὴν δὲ φύλασσε πολυκλείστοις θαλάμοισι, *Virginem custodias bene clausis thalamis.* Inde & Venus teste *Hesychio* ἄναστα θαλάμων. Obclamat

& *deinde* usus vocis, quo semper in Scriptura prædicatur de virginibus & innuptis *Gen.* 24: 43. *Exod.* 11: 8. *Ps.* 68. 26. *Cant.* 1: 3. *Cant.* 6: 7. *Prov.* 30: 18. : Quæ sunt loca illa in quibus extra Esajam occurrit. Adstipulantur & nobis Interpretes Targumim bini, & LXX. Consonat & cognata vox עלם quæ *cœlibem* designat. Urget non minus ipsa textus circumstantia, utpote in quo signum ac miraculum cluit conceptio & partus hujus Gnalma: Non vero miraculum sed quotidianum est uxorem juvenculam parere.

XXVIII.

Neque poterat alio modo Christus quam ex Matre Virgine absque viro nasci ac venire; Id exigebat lex generationis, quæ id, quod per eam venit, sistit & generat sibi simile: generat Adam ad suam imaginem. Id vult ratio causæ & effecti, quod non potest esse nobilius unquam sua causa; unde, quod ex carne ejusque vi venit, *simul caro* i. e. tantum corpus, sensualitas, peccaminositas, infirmitas est. Adde legem positam in Oeconomiâ fœderis operum, quâ Adam erat positus Stirps quâ descendunt corrupti & peccatores. Neque debebat quicquam secundum carnem & ex lineâ prioris vitæ cognosci, sed novum principium existendi ac vir Zæmach exstare: erat enim prima linea vehiculum corruptionis facta. Atque sit ita Christus Nazyreus ac separatus à Fratribus, ut non opus sit ipsi eidem sorti ac conditioni subjacere. Est Christus, homo in gratia, non ad eum extenditur natura qui Dei ac cœleste donum est. Effecit & spiritus Pater, ut id, quod hoc modo generaretur, Sanctum Domini esset. Neque decuisset, sanguinem & semen, è quo prodiisset Christus, in calore libidinis & coitus prius fuisse, & post in Christo coalescere. Debebat & Christus ipse esse novus Adam, i. e. æque principium primum existendi & vivendi ac fuit Adam primus, & ita non descendens primi existere.

XXIX.

Unde & hæc veritas vel in capite libri scripta est. Prima enim promissio disertè Christum *Mulieris* non *Viri* semen facit, solamque Mulierem in apertâ distinctione à Viro cum Diabolo committit;

mittit; Nam quæ barathrum tenebrarum erat, ex ea lux prodit: Quæ fracta jacebat ac infirma erat, ea robur exserit: Quæ læsa à Serpente fuerat, ea juste ad vindicandum aggreditur: Quæ clades humani generis erat, venuste salutem denuo illi affert: Quæ & commoda maxime serpenti in clade hominum, ea nunc in ipsius perniciem vergit, quo apertius in calliditate deprehendatur sua; Reatum enim inde sibi contrahit, ob quem ereptione continuâ prædæ punitur, sic ut & caput ipsi conteratur. At hæc omnia à muliere non viro. A muliere in genere salus, oppugnatio, & abolitio Diaboli. A muliere illud semen, quod contritionem potestatis Diaboli affert. A muliere item semen quod pugnam aliam cum Serpente decertat: Unde Nomen, *Mulieris semen*, dum interea Adam stirps ac propagator corruptionis existit: Hinc omnis salus, omnis Christus, omnis electus & sanctus sano sensu ex Muliere existit, cui & ejus promissio ac appropriatio fit; Inde inquit Eva in partu Seth, *posuit* mihi *Deus aliud semen pro Habel Gen.* 4: 25.: Inde & vocavit eam Adam *Matrem omnis viventis*; Quod enim existit Christus, qui est vita mundi, quod electi ac sancti viventes ex Christo, omne est ex Eva & Muliere, quæ hinc Mater omnis viventis dicitur *Gen.* 3: 20.; quod & ad alios viventes & pecudes extendi posset, ex semine enim Mulieris est quod secula portantur & subsistunt.

XXX.

Non minus hoc illustri loco *Esaj.* 7. docetur, ubi virgo dicitur filium Immanuel & Christum editura, idque in signum & miraculum quo alia res & promissio confirmanda erat. Disquirunt anxie quo modo futura diu post Christi nativitas queat esse signum certiorans Achaso tunc modo cum Esajas illi loqueretur? Hinc faciunt filium illum edendum filium Regis *Ezechiam*, aut filium Prophetæ *Searjasub*. Non infiteor scrupulo huic non deesse speciem. Sunt tamen etiam solutiones ejus minime temnendæ. Neque enim insolens Deo est ingentium promissionum, quæ plane certæ ac indubitatæ sunt, propositione, minorum fidem adstruere, licet illæ majores demum diu post impleantur: præsertim quando majora illa sine minorum fide non consistunt: tum enim tam certo minora illa

illa præcedere ac evenire debent. At, si probe inspiciamus caput, apparebit non opus esse his ambagibus. Quid enim? dispescendum est hoc *Caput Esai.* in tres partes. Continet ac docet I. non debere Damascum esse caput Judææ sed Syriæ, quæ promissio nudis verbis concipitur & non signo confirmatur. Hanc vero excipit *vers* 10 *cap.* pars II., quâ & Deus denuo ad Achasum locutus esse dicitur: In parte hac permittit ipsi Deus postulare signum, quod & Deus ipsi ultro offert & concedit, at hoc signo non confirmandum erat id quod parte prima continebatur, sed quod in fine partis secundæ *vers* 16. de abitione & *Casu regnorum* eorum prædicitur, à quibus Achas pro tunc sibi metuebat. Exhibet verò pars III. exemplum præludiale ejus omnis rei, puta & nativitatis alicujus pueri & spoliationis horum Regnorum per Regem Assyriæ. In hoc vero impegerunt hactenus Interpretes, quod signum nati Immanuelis non ad promissionem secundæ partis adstrinxerunt, quod & tertium hoc non ut exemplum præludiale alterius considerarunt. Hoc vero si fiat, perit omnis scrupuli species, manet vero immotum hoc quod *Virgo* Christum Immanuelem editura sit.

XXXI.

Succedit locus *Jer.* 31: 22. *Nam creat Jehova rem novam in terrâ, fœmina ambit virum.* Qui fœminam metaphorice de Israële exponunt, ferunt hæc dici de fœmina desolatâ quæ eo tempere ipsa præter morem virum ambit, quum secus viri sit expetere mulierem, *aut* de fœmina prostibulo, quæ aliorum virorum amores ipsa proterve ambiat, *aut* fœminâ adulterâ quæ diu alienis amoribus implicita tandem à Deo convertitur & ad priorem maritum redit, *item* de fœmina debili quæ robusta & viro fortior fiat, *item* de fœminâ ac sponsa spirituali, Ecclesiâ, quæ Christum sponsum ac servatorem suum amplectitur. At tangunt hæc, quæ sunt in hoc capite, tempus illud quo Christus miraculose per virginem editus est, ac initium Novi Test.: agitur enim de tempore quo *captivitas Jacobi solvitur, & Mons Domini habitatio justitiæ est vers.* 23., quo Christus *à somno evigilat vers.* 26., quo fœdus *novum erectum* 31., quo *bona N. T. indulta vers.* 32. 33. &c. Atque notatur in specie miraculosa illa res ejus temporis, qua Maria Mulier sine coitu, & quidem

dem ipsa sola Mulier *virum* utero ambiit; Hæc enim fertur esse res quæ *nova* debebat esse in terra, res quæ à *Jehovah* provenire debebat, res quæ per *creationem* à Jehovah prodire debet.

XXXII.

Atque hinc patet, quâ ratione dicatur 1 *Tim.* 2: 15. quod Mulier per *liberorum procreationem* salvanda sit. Respicit hoc necessariò Christum qui ex Muliere est & Semen Mulieris dicitur; Quid enim secus liberorum generationi communi salus adscribatur, imo magis quam manducationi & bibitioni? Atque docent antecedentia de introductione peccati in mundum *per Mulierem*, quo sensu verba hæc quæ opponuntur illis antecedentibus intelligi debeant, nimirum similiter de introductione salutis in mundum, ut quæ itidem Mulieri & partui Mulierum debeatur.

XXXIII.

Nos hinc potiori jure gloriamur in Muliere quàm *Phil.* 3: 19. Judæi *Ventrem pro Deo* habentes: Hæc erat gloriatio Judæorum in nativitate ex Sara & Abraham, ob quam putant se non posse damnari *Matth.* 3. *Joh.* 8.; Explicatur enim eo *capite* 3. ad *Philip.* de *gloriatione in sua carne vers.* 4. Recitantur etiam ibi hæc verba gloriantis, *Sum ex tribu Benjamin Hebræus ex Hebræis vers.* 5. Tum & *Venter Deus* est *Venter gloriatio vers.* 19., quod de voluptatibus obscœnis minus appositè dicitur. Adde & quod opponatur hoc politeumati & cognationi cœlesti *vers.* 20. Quæ cuncta evidenter ac aperte ad gloriationem in prosapia carnali nos deducunt: quam cessare protinus in Novo Test. docet Paulus 2 *Cor.* 5: 14. &c., ubi dicit *amorem* & æstimium *Christi*, cui jam gentiles tanquam membra conjuncti, *urgere*, ut Judæos secundum carnem censitos non cognoscamus, reputemus, præponamus, quasi Abrahamum contingere majus quid esset quam Christo in uno corpore conjunctum esse: Unde omnis in Christo nova creatura.

XXXIV.

Omittimus hìc *Pontificios* qui in materiâ hac nimium quantum excedere comperiuntur; Extollunt 1. vehementer decus ac meritum Virginitatis, quam & ob præstantiam suam internam hinc à Christo in nativitate sua electam esse volunt. Erat olim turpis res

legibusque fere adversus cœlibatus: at suasit eum *Paulus* ob temporis exilii & persecutionis tunc furentis calamitates, exegit item cum inops primi temporis Ecclesia à Diaconissis, Tempore vero Patrum & Constantini fuit ejus summa laus & prædicatio, donec tandem ad astra eum eveheret ex causa Politica Pontifex Romanus. Mirare & audi quantus in ejus laude modo sit *Martyr Cyprianus* in Tract. de Habitu Virginum, *Nunc nobis ad Virgines sermo est, quarum quò sublimior gloria major & cura est: Flos est ille Ecclesiastici germinis: decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas atque in illis largiter floret Ecclesiæ Matris fœcunditas.* 2. Non solum in Mariâ Virginitatem ponunt, sed & volunt in parentibus & ortu Mariæ abfuisse omnem actum & usum conjugalem, Mariam quippe ex osculo, quod Jojakim Annæ pepigerit, fuisse conceptam & natam: Quod ad immaculatam Mariæ puritatem habendam constituerunt, quum, quicquid secus caro generet, caro sit. Ex alio vero fundamento derivabant ejus puritatem Veteres, quod idem *Cyprianus* adnotat Serm. de Nativ. Christi, *Spiritu Sancto obumbrante incendium originale exstinctum est.* 3. Virginitatem hanc volunt Pontificii in Maria fuisse & mansisse perpetuam. Quod & olim ita creditum firmiter est, unde Epiphanius Josephum vocat ἄνδρα ἀνανδρον: Quin & pugnavit pro ea acerrime Hieronymus contra Helvidium: quanquam nulla necessaria ratio eam credendi sit, & religio voti conjugalis potius ad alia adstringat. Addunt 4. illæsa mansisse feminalia, atque hoc quòd debuerit parere sine dolore, hoc iterum quia fuit immaculata ac sine peccato, quòd denique olim ex duobus efficiebant, *tum* ex conceptione quæ fuerit sine carnali cocuntium voluptate, *tum* ex obumbratione Spiritus Sancti qui superveniens exstruxerit incendium originale, nunc vero ejus causam longè altius repetunt. Rem omnem pandit *Laud. Cyprianus loc. laud. Serm. de Nativit. Christi* qui ipsi vulgo adscribi solet, *Ultro maturus ab arbore bajula fructus elapsus est, nec oportuit vellicari quod sponte prodibat. Non præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum usuram, Spiritu Sancto ob-*

cto obumbrante incendium originale exstinctum est, ideoque innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat justitia ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis. At plenam à primo momento Mariæ puritatem volunt & credunt nunc Pontificii, unde *nec* ordinario coitu ex carne sed osculo natam dicunt, *nec* constanter mortuam sed in cœlum ascendisse, *neque* à Christo redemptam sed meritis propriis ita præservatam, ut Redemptore non indigeret. Quæ erroris catena & series est.

XXXV.

Omittimus insimul typos qui congeri solent, quique hoc olim præfigurarint: Huc referunt *Adamum*, qui non ex homine natus sed à Deo manibusque Dei immediate formatus sit in præludium Christi consimiliter formandi, qui hinc ajat, *Corpus aptasti mihi.* Adducunt *Melchisedecum* qui fuerit sine Patre ac Matre, *Nubem* quæ umbra Christi exstiterit, in se vero cœleste quid est, *Mulierem* quæ *Matth.* 13. Christum fermentum in ventrem assumpserit, & in panem coxerit, *portam Templi* quam nemo nisi Dominus transeat *Ezech.* 44., de quâ Cyprianus in Expos. Symb. Apost., *sed & partus ipsius mirabilem modum Ezechiel Propheta ante formaverat, Mariam figuraliter portam Domini nominans per quam scilicet Dominus ingressus est mundum: Porta autem quæ respicit Orientem clausa erit*, & non aperietur, & nemo transibit & clausa erit. *Quid tam evidens dici de consecratione Virginis potuit. Clausa fuit in ea virginitatis porta, per ipsam introivit Dominus Deus Israel, & in æternum porta Virginis clausa, servata Virginitate, permansit.* Magis huc facit & pertinet *Isacus* non viribus naturæ prodiens sed promissionis filius, *Lapis* apud Danielem ex monte seu regia stirpe *sine manu* excisus, *Templum* itidem sine malleo ac serra structum.

XXXVI.

Totius rei implementum occurrit *Luc.* 1:35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi inumbrabit te, hinc quod nascetur Sanctum, Filius Dei vocabitur*; A Spiritu Sancto & virtute altissimi descendit tota res. Ab his primùm est quod quid nascitur & fit in Mariæ utero, dein quod id Sanctum est quod nascitur ac fit, denique & quod Filius Dei est quod nascitur & fit. Per Spi-

ritum vero supervenientem non tantum intelligitur tertia Deitatis persona sed & tota Trinitas, quum & Pater Filio corpus pararit. Neque excluditur Filius, *tum* quod Vir Zæmach ipse sibi templum ædificat, *tum* quod ob supervenientem Spiritum id quod nascitur & ex utero exit Filius Dei est & vocatur, ubi hinc ipse Filius in Mariam venire uteroque exire debet; Non enim ea quæ Spiritus efficit ac præparat hinc Deus & Filius Dei sunt, sed opera Spiritus tantum. Unde significanter iterum Cyprianus in Expos. Symb. *Vide ergo cooperantem simplicem trinitatem. Spiritus Sanctus venire dicitur, & virtus altissimi obumbrare. Quæ est autem virtus altissimi nisi ipse Christus, qui est Dei Virtus & Dei sapientia. Cujus hæc Virtus est? Inquit Altissimi: Adest ergo altissimus, adest virtus altissimi, adest Spiritus Sanctus. Hæc est Trinitas ubique latens ubique apparens, vocabulis personisque discreta, inseparabilis substantia Deitatis.* Quod vero modus rei per *supervenire*, & *obumbrare* declaratur, ea vocabula à concubitu, ex quo secus fœtus proveniunt, desumpta esse censendum est. Exponit secus *Theophylactus* de inumbratione avium, quæ incubant suis pullis & ovis. Volunt alii alludi ad Pictores, qui primò opus σκιάζειν adumbrare leviter, tum consummare & perficere solent. Sunt & qui per *induet te* vertunt ac interpretantur. Communiter verò intelligunt de Schechina & inhabitatione Majestatis divinæ, quòd ea soleat tanquam inumbratio concipi & describi.

XXXVII.

Declarat hoc dictum *Lucæ* etiam modum quo *sancte* hoc Desiderium Mulierum nasci & ex Muliere provenire potuit. Quæsita sunt varia Sanctificationis fundamenta, 1. *Eutychianum*, quo absorpta dicitur à Divinitate humana natura cum omni ea vilitate quæ illi adhærere potuerit. 2. *Anabaptisticum*, secundum quod aut materia corporis Christi cœlo delapsa sit ac uterum transierit tantùm, aut ipsâ Deitas vere in carnem transmutata sit, quemadmodum in exaltatione iterum caro per conversionem proprie dictam Deitas facta fuerit. 3. *Pontificium*, quod à Mariâ purâ ac labe nulla infectâ Christi carnem deducit. At sunt alia & veriora magis hujus rei principia ac fundamenta: Quæ sunt 1. conditio

ea

ea Christi nati quâ Principium & secundus novus Adam est, non vero tam à linea primâ Adami descendit, neque in ea censetur. 2. Mater Virgo, quæ sine coitu & viribus carnis ac naturæ Christum genuit ac stitit, quo posito secus generatum ex carne simul caro exstitisset. 3. Nazyreatus ille personæ Christi quo non homo sed Filius Dei existit, cujus corpus censui nudorum hominum eximitur, in quos peccatum & naturalis corruptio tantum dominatur. At potissimum 4. hujus rei fundamentum in verbis iis *Lucæ* reperias, quæ Spiritum Sanctum faciunt materiæ corporis Christi plasten ac formatorem; At quo pacto quâque ratione ille sanctificasse massam corporis Christi dicitur? An à labe ac vitiositate inhærente eam purgavit ac eluit forte? Ita concipitur à multis res; At hoc modo Christus non fuisset immunis & separatus ab omni peccato & peccatore: Ita aut pro suo etiam reatu debuisset satisfacere Christus, aut ille sine ulla satisfactione aut expiatione remitti: Sed & ad peccati dignam expurgationem non sufficit Spiritus, ut id ipsi imputetur, verùm ad eum simul sanguinis expiatione opus est quem Spiritus non habet. Quid igitur? Effecit Spiritus suâ operatione ut non opus esset carni generare, sicque nil à carne prodiret, quum ipse totam rem & generationem præstaret: Quo simul arcuit & effecit, ut non caro peccaminosa esset id quod generabatur; At hoc negativum quid est. Sed & positive per suam paternitatem causa fuit quod à Sancto Sanctum & ipsi simile prodiret. Neque juvat subjicere, saltem hoc modo Spiritus sanctificavit ut continuerit ac præservaverit massam in Maria Matre è qua Christus prodiit, ut motibus peccaminosis & turpibus Mariæ non obsequeretur; At hoc ob circulationem continuam sanguinis impossibile est: Neque est in sanguine qua tali sanctitas aut peccaminositas ulla, ille enim bruta res ac corporeum quid est, quod non est sub peccato & reatu nisi in quantum est relatum ad animam & personam peccaminosam; à qua in fœtus & corporis Christi præparatione divellebatur & separabatur in utero, atque ordinabatur ad constituendam personam aliam & novam Christi qui præparabatur: eodem modo quo spiritus in sudore exientes separantur. Accepit & in corde fœtus sanguis aliam & propriam circulationem.

XXXVIII. Hoc

XXXVIII.

Hoc igitur modo Christus ex Muliere & *Mulierum* Desiderium. E quo forte manavit olim ingens illa laus & prædicatio Mulierum: Dixerunt enim Rabbini, *In eo, qui non habet uxorem, deficiunt quinque res. Caret benedictione* 1. *quia dicitur Gen.* 1: 22. Et benedixit iis Deus 2. *Caret vita, quia dicitur Eccl.* 9: 9. Et fruitor vita cum uxore 3. *caret lætitia, quia dicitur Prov.* 5: 18. Lætare cum uxore adolescentiæ. 4. *Caret adjutorio*, quia dicitur *Gen.* 2: 18. faciam adjutorium 5. *Caret bono*, quòd uxorem inveniens rem bonam inveniat. Et nescio annon hoc nostrum Mulierum Desiderium respiciant verba *Talm. in Bav. Mez. fol.* 59. לעולם יהי אדם זהיר בכבוד אשתו *Semper sit homo cautus ad honorandam uxorem suam, quia nulla est benedictio in domo ejus nisi propter uxorem.*

XXXIX.

Male igitur inquiunt *Judæi* nesciri Messiæ ortum, אין מי חייא אין מי דמכייא הוא *an è vivis an è mortuis proditurus* Hieros. Ber. fol. 5. Unde & *Joh.* 7: 27. legitur, *unde futurus id nemo noverit.* Malè item familiam maternam quasi tollunt & expungunt, quum omnis nostra salus in Desiderio Mulierum ex Muliere exstitura: Spernunt tamen quum in *Juchas fol.* 55. scribunt, משפחת אם אין משפחת קרויה *Familia materna non familia vocanda est*: Quod adeo inter Judæos invaluit, ut hinc Evangelista per Josephum Sponsum Mariæ genealogiam Christi deduceret.

XL.

Multò rectius antiqui Rabbini, qui probe satis ortum Christi, nimirum ex cœlo & terra simul, cognoverunt & determinarunt. R. Mose Hadars. in *Gen.* 49. & *Ps.* 49. *Ostendam salutare Dei. Hoc est una ex magni momenti Scripturis quod salvatio Israëlis salvatio Dei. Deus enim erit pretium & solutio redemptionis ejus.* Midras Tehill. in *Ps.* 40. *Quia Gentiles assidue rogant ubi Deus noster erit tempus in quo Deus in medio justorum sedebit, illumque tunc digito poterunt indicare.* Adde Lib. Mechil. in *Exod.* 24. *Jehova futurus tempore Messiæ loco Fratris, juxta Cant.* 8. *Quis det te ut fratrem mihi.* Clarissime autem Simeon Ben Joh. in Gen. 1. & 17.

Miseri-

Misericordia s. Timor Dei corpus assumet in utero Mulieris, & coronabitur in Regem. Decretum enim hoc seculo tertio, utque corporis hujus interventu mundus superior inferiori conjungatur. Neque omittendum illud effatum R. Jannæ in Midr. Teh. *Per tres annos & dimidium stat Schechina divina in monte Oliveti, & prædicat dicens, quærite Dominum dum inveniendus.* Plura qui desiderat ille adeat *Morn. de Ver. Rel. Christi*, & *Huetium in Demonstr. Evang.*

XLI.

Non minus crediderunt Judæi prisci Matrem Christi futuram esse Virginem, eumque vere Desiderium ex Muliere tantum oriundum. R. Moses Hadarsan. ad *Ps.* 85. *Rabbi Joden hic notat non dici nascetur sed germinabit, quia nativitas Messiæ non erit ut cæterarum creaturarum, sed gignetur sine copula carnali.* R. Hakadosch Quæst. 3. Esaj. 9. *Ex virgine Messias nascetur.* R. Simeon Ben Joh. in Gen. 2. *Spiritus virtute magna impulsus ex clauso utero exibit, ut altissimus Princeps fiat qui Rex Messias.* Et si *Suidæ* in dictione Ιησους fides habenda, fuit Album Sacerdotum cui & Christus fuerit inscriptus hisce verbis, *Jesus Filius Dei vivi & Mariæ Virginis.*

XLII.

Sed & confirmant hoc vel ipsæ Adversariorum blasphemiæ: Ex hac enim causa vocant Judæi Christum Ben Stada Filium meretricis, ut quæ absque viro pepererit. Hinc *Simon Magus* ingens Christi æmulus & se Virginis Filium voluit à Discipulis credi, quæ tacita nativitatis Christi ex Virgine confessio erat. Canunt *Sibyllæ folia* de Christo Virginis filio. Concedunt idem Mahometani atque extenuant tantum miraculum, hoc sæpe apud se contingere clamitantes.

XLIII.

Neque abnuunt Gentiles. Non enim famosa illa Ecloga Virgilii multis videtur aliud quàm carmen natalitium Christi Salvatoris. Sane canunt de hac re Sibyllæ, quæ non figmenta sed vere ante complementum existentia verba fuerunt: at unde profecta? Cooperante doloso Deo mundi, ejus ex magna nativa cognitione ac intelligentia, ex revelatione Dei & Scriptura Sacra, ex traditione Majorum, quam posteri docente Vossio & Huetio cuncta fabulis & emblematis

emblematis involverunt, tum & ex Clave cognitionis per Urim collecta at post deperdita: quæ & causa fuit quare prisci Rabbini tam scientes exstiterunt, quare & recentiores semper authoritatem antiquorum in didascalia sua præmitterent & allegarent, in hunc fere modum quo canit *Statius* de vetustis Oraculis gentium, *salve prisca fides Tripodum:* Quibus expensis abunde constat facillimo negotio hæc gentibus patefieri potuisse. Admittebantur vero ad arcana Sacra Scriptores eximii, ut possent scribere contentaque in iis suis libris vulgare, de quo apposite Heinsius in Prolegom. in Aristarchum. *Alteris ut pro republica apud Deos intercederent permissum fuit, qui honos Flacco contigit cum seculare carmen publica authoritate scripsit: alteros vero ad Theologiam ad inspiciendos libros sacros mysticosque ad Pontificum indigitamenta consulenda contrectanda ac interpretanda admissos constat, quod Varroni Viro tantis dignitatibus honoribusque functo decem & sex libris de divinis rebus commentandi ansam dedit, illi dico qui & de indigitamentis librum scripsisse dicitur. Ad eadem Pontificum arcana & Virgilium fuisse admissum ex Commentatoribus apparet, qui ex iis nomina Deorum descripsisse initio Georgicorum docent. Eundem Sibyllinos libros, qui Duumviris ac Quindecim Viris commissi erant, inspexisse quarta cum divina providentiæ stupore docet Ecloga, quæ ad eos maximum imperii Romani ingenium admisit, ut tum nati pueri, qui & simul Deus esset & in cujus nomine omne genu flecteretur, Natalitium cantaret.*

XLIV.

Neque potuit hoc Ethnicis incredibile videri, qui modo eadem & majora in suis sacris receperant: quod venuste iterum urget in *Expos. Symb. Cyprianus. Et tamen quid mirum videtur si virgo conceperit, cum Orientis avem quam Phœnicem vocant in tantum sine conjuge nasci vel renasci constet ut semper & una sit & semper sibi ipsa nascendo vel renascendo succedat. Apes certe (ita pergit author) nescire conjugia palam est. Hoc ergo incredibile videbitur divina virtute ad totius mundi redintegrationem factum, cujus exempla etiam in animalium nativitate cernuntur. Et quid hoc Gentilibus impossibile videatur, qui credunt Minervam suam de cerebro Jovis natam? quod*

quod ad credendum difficilius aut quod magis contra naturam? hic fœmina est, hic naturæ ordo servatur, hic conceptus & partus temporibus suis editus. Ibi nusquam fœmineus sexus sed Vir solus & partus. Qui illa credit cur ista miretur. Sed & Liberum de femore ejus asserunt natum: Ecce illud portenti genus est, & creditur. Venerem quoque, quam Aphroditem vocant, de spumâ maris credunt esse progenitam: de ovo natos Castorem Pollucemque confirmant: ex formica Myrmidones: & alia mille sunt quæ contra rerum naturam venientia, ipsis tamen visa sunt credibilia, ut Deucalionis & Pyrrhæ lapides jactos & hominum ex his segetem natam &c.

XLV.

Atque hoc Desiderium *Mulierum* est. Succedit nunc *Deus Mausim* alterum tractationis nostræ argumentum, de quo præfanda quædam sunt antequam ad ipsam ejus pertractationem acceditur.

XLVI.

Sunt præter Deum unum ac verum etiam alii qui eo nomine in Scriptura insigniuntur: *Sunt equidem in cœlo & terra dicti Dii multi, quomodo Dii multi & Domini multi* 1 *Cor.* 8:5. Qui vocantur *dictitii Dii* loc. cit. secundum *Ps.* 82:6., non *natura Dii Gal.* 4:8. non *vivi Dii* quemadmodum Ecclesia N. T. dicitur cœtus Dei vivi 1 *Tim.* 3:15. Distinguit illos Deos locus 1 *Cor.* 8. in eos nimirum, qui in cœlo sunt & in terrâ. In cœlo Angelos habes infra quos Deos Christus *per parvum tempus minoratus est Ps.* 8:6., quibus & prima habitabilis subjecta erat *Heb.* 2:5. Sunt vero & in terra qui eo nomine appellantur, quos facit *locus ad Cor.* tum Deos quales erant Seniores in cathedra vetere Mosis, tum Dominos; conjungit enim Diis Dominos. Gerunt vero hi illud nomen, *tùm* ob dominium excelsum, cui alii subjiciuntur *Heb.* 2:5., *tùm* ob infallibile verbum, quod olim erat in ipsorum ore, quodque reverenter erat audiendum *Joh.* 10:15., *tum* ob Vicariatum divinum; Adde vim leges ferendi & execrandi, & potentiam magnam, qua ratione & seculares Magistratus eo nomine veniunt: Neque enim censendum ex ceremoniali œconomiâ tantum hos Deos appellari; Erat enim jam ante ceremonialem legem Mosis

Aaronis Deus: Inde & tanquam jussum forense cluit *Exod.* 22:28. *Deos non execraberis, & Principi in populo tuo non maledices.*

XLVII.

Equidem nomen Dei est proprium, non commune & appellativum. Est enim gloria in titulo ac nomine quæ non datur non Deo. Neque sumitur nomen Dei in vanum. Indigitant & nomina Dei essentiam infinitam ac Dei quæ non convenit nisi uni. Adde ea esse notas diacriticas & distinctivas, quas Deus non confundit ac pluribus imponit. At nota in antecessum, *Nomen unum esse magis proprium alio nomine*; Ita sunt in summo gradu propria quæ vi significatus eximii ac nimii non possunt communicari aliisque imponi: Qualia sunt nomina quæ perfectionem essentiæ proxime indigitant; Inter quæ excellit nomen *Jehova*, quod hinc nomen proprium & nomen essentiæ Rabbinis singulari modo dicitur, cum quo & fere consonat Græcum ὤν, de quo Cyrillus δοκεῖ μὲν οὖν κυριώτερον πάντων τῶν ἐπὶ θεῷ ὀνομάτων εἶναι τὸ ὤν, *Nullum videtur Deo magis proprium nomen quam cum appellatur Ens*: Hoc primum & radicale ejus attributum dicit: Hoc ad essentiam & existentiam ejus pariter spectat & refertur. Sunt præter hoc & alia *nomina Dei quæ vi significatus equidem vulgari possent, actu tamen & usu Deo appropriantur*, qualia sunt, Θεὸς, Elohim. *Sunt vero & quædam quæ & per significationem vulgari in se possunt, & usu atque actu vulgata etiam atque communia existunt*, v. g. El, Elim, κύριος.

XLVIII.

Cogitandum vero porro est, Ea etiam Nomina Dei, quæ aliquo modo vulgantur, tamen non communia sed propria existere ac permanere, *tum* quod primùm & proxime divinum per usum significare pergunt, quoad essentiam divinam, quæ nulli communis, cogitandam dant, *tum* quod tunc à nomine eodem quo in se Deus venit per circumstantiam aut restrictionem apertam distinguuntur, ut quum Diabolus *hujus mundi* Deus, idola gentium non *naturæ Dii*, Seniores V. T. *dictitii* Dii in Scriptura vocantur, quod, ipsum nomen Dei in proprio & pleno aliis non convenire, indicium satis luculentum est. Ubi & expendendum probe *aliud*

longe

longe esse vocabulum Dei tanquam epitetum gerere ad magnitudinem & superioritatem exprimendam, *aliud* idem habere tanquam nomen ad proprium nominis significatum impertiendum & essentiam divinam connotandum. Tum vero tanquam essentiale ac verum nomen occurrit, *quum* propriè sumitur, *quum* sine adjectione ac restrictione invenitur, *quum* rei alio naturali nomine destitutæ imponitur, *quum* in oppositione ad aliarum rerum essentias per id aliquid describitur, *quum* in propositionis ac rei subjecto non prædicato ac epiteto legitur. Quando vero res aliam essentiam hincque & aliud essentiale nomen habens insuper nomen & elogium Dei acquirit, apparet per se eo non essentiale divinum nomen venire, eò quòd res quævis non nisi unam essentiam habere queat. Unde & est, quod in scriptura cuncti hi dictitii Dii *Elilim* & *non Dii* vocantur *Lev.* 19:4., *Ps.* 96:5. Quod nomen, *sive* à ילל descendat atque ululatione, *sive* ab אלם obmutescentia, eo quod sunt muta idola, *sive* ab אלה execratus est, quòd abominationes, *sive* à diminutivo ex אל quasi Deiculos diceres, *sive* à compositione *Al El* quod sint *non Dii*, *sive* potius ab אלל quod *nihilum* & *vanum* significat, ad *nullitatem Deitatis* contendit. Est enim אלל, *Alal*, *nihilum*, seu *valde nihilum*, quasi diceres *non non*. Unde & forte *Paulus* inquit 1 *Cor.* 8:4. *Novimus idolum nihil esse.*

XLIX.

Nunc hæc ad Nomen illud אלוהים, quod præ manibus, referre convenit. Est & hoc usu Deo proprium, quod vel pluralis ejus numerus, qui prius ad personarum multitudinem denotandam ortus post manet, satis indicat; Attamen prædicatur hoc nomen in exiguo sensu etiam de aliis qui non Deus sunt: quod & permittit quin & efficit ejus vis & significatio nativa: Significat quippe talem qui *jurat adjurat* & *execratur* pariter, hæc enim est significatio verbi אלה à quo descendit & deducitur. Quoad *jurantem* concipis, *vera certaque testantem*, *confœderantem*, & *promissorem fidelem* habes, quippe quòd in hos fines jurari soleat & Scriptura sic jurantem interpretetur: Quoad *adjurantem* cogitas, Dominium Domini verendum animum & cogitationem subibit,

qui adjurare ac homagium sibi poscere & præcipere potest: Quoad autem ab *execratione* derivas, Legislatorem qui execrari, Judicem qui damnare & punire potest, necessario tibi exhibes, quare & Hebræi *judicem* per hoc nomen significari existimant. Ab hoc vero vario nominis hujus significatu dependet, quod non uno in loco rerumque statu adhibetur. Hinc enim est, quod *aliquando* in principio orationis & testationis divinæ occurrit, quo firma & jurata quasi certitudo verbi & testimonii dicendi pateat, *aliquando* in fœdere & confœderatione fiduciali, qua juratur amicitia & fidelitas, *aliquando* in præceptis & legibus, ad quas implendas adjuratio fit, *aliquando* in comminationibus, quas Elohim exsecrans dicit & complet, *aliquando* autem etiam & persæpe in promissis & bonis, quæ pollicitatio sperari vult: ad promissa enim firmandum solet jurari, & qui fœderaliter jurat, promissa etiam bona post conditionem fœderis servatam præstare seque conjungere tenetur; Unde est quod æterna promissa vita & salus ex eo, quod Deus alicujus est, deducitur. Non vero efficit significatus hujus nominis tantùm, ut diversimode pro ejus varietate adhibeatur, sed & procedit hinc quod non uni imponitur & communicatur. Testatur infallibiliter, conjungitur fœderaliter, promittit firmiter, obstringit & judicat sancte, & quidem supra omnes, unus ille & verus Deus; unde merito illi hoc nomen primo & primariò attribuitur. Quia verò in veteri œconomiâ etiam Angeli & in cathedra tunc sedentes Seniores, quibus prior habitabilis subjecta erat, non minus verbum infallibile Dei ad se factum eloquebantur, ad præcepta & placita sua adigebant & adjurabant, judicabant, & pœnas exsequebantur, hinc & illis in scripturâ hoc nomen non denegatur, quanquam ii nunc in libertate Novi Test. ceciderint & mortui sint. Sed adhuc Reges & Principes populos sibi homagio fœderali conjungunt, ad leges & officia adjurant, judicia exsequuntur; quæ pariter causa est quare & his nemo Deorum titulum abnuere queat: Atque hi sunt, nisi vehementer fallor, *Dii Magnussim*, *Dii roborum*, seu Dii non naturâ tales sed à robore & potentia ipsis collata ita appellati; Ex quo eodem fonte est quod l. cit. 1*Cor* 8. Dii multi etiam per *Dominos multos* exponuntur.

L. Est

L.

Est non una Interpretum sententia, quum definiendum iis quis Deus Mausim sit? Non desunt principio, qui de Dœmone & Diabolo interpretantur, quod & Pontificiis non usque adeo displicet; Etenim *Lyra* diserte scribit, *Maozim esse nomen proprium significans Deum quem AntiChristus colet, qui & futurus Dœmon in cujus tutela erit: qui appelletur Maozim, quia in eo robur & præsidium omne suum collocabit.* At non est Diabolus Deus peregrinus à Patribus nunquam cultus. Non ille auro honoretur & colatur, qui ipse illud sui cultoribus offert & dat &c. Consimilis est *Polani* & aliorum excessus de Deo vero & omnipotente exponentium. Cogitarunt veteres de Nerone, Deoque Neronis, tum quod *Magnos* lingua Sabinorum significet *Neronem*, tum & quod ipse primus dedicator est persecutionis Christianorum. Ridet meritò Hieronymus Porphyrium qui per *Maozim* intelligit vicum *Modin*, quæ patria fuerit Matathiæ & filiorum ejus, quo loco & Duces Antiochi posuerint statuam *Jovis*, compulerintque Judæos ut illi victimas immolarent. Cum quo fere consentiunt illi qui de Antiocho eodem Rege exponunt, qui in urbe Hierosolymitanâ firmissimam exstruxerit arcem, jusseritque in eâ positum Jovem adorari & coli. Quæ frigida sunt: Sentiunt tamen *Cornelius à Lapide*, *Melanchton*, *Deodatus*, qui & cultum Antiochi idololatricum ex 2 *Mac.* 6: 2. tradunt, censentque eum fuisse à more patrio alienum, quod ille teste *Strabone* Artagatida aliaque Syriæ Numina & astra cœli prosecutus fuerit. At videntes Alii aliam longe hic ordinis & rerum seriem esse, de Romanis cogitarunt Aquilam & idolum profanum in templum Hierosolymitanum inferentibus: Ita sentit *Heinsius in Marc.* 13: 14. Cæsar enim secundum Hieronymum imaginem suam in templum intulerat: Herodes item aquilas Romanas ad templum affixisse scribitur, quæ aquilæ vocentur Romanæ aves & propria Legionum Numina *Tacito annal.* 2., *Irent, sequerentur Romanas aves, propria legionum Numina.* Confirmat eos potissimum nomen *Magnussim*, quod coincidit fere cum nomine Romæ in significatu. Ita enim Heinsius l. c. *Ad quem locum intelligendum nullis opus esse ambagibus arbitramur. Prophetæ*

Daniel cap. 11: 38. *Deum Romanorum Deum Mausim ex interpretatione Hellenistarum Deum ῥώμης dixit: utut enim Romæ nomen a conditore deduxerint Veteres, non defuerunt tamen qui ἀπὸ ῥώμης à virtute aut robore sic dictam crederent.* At concedo Romam forte melius ab hoc robore, quam authore, aut Ruma, aut Româ nobili mancipio Ascaniique filia deduci: confirmat enim hoc Historia, quum memorat urbem, antequam ab Evandro Romæ nomen accepit, similiter à robore & valore Valentiam dictam fuisse *Plutarch. in Rom. Solinus Polyhist. cap.* 2. Fateor itidem indicia, at levia, nominis Mausim inter gentes earumque numina exstitisse, unde Μαζεὺς Phrygum Jupiter fuisse videtur, secundum illud Hesychii, Μαζεὺς ὁ ζεὺς παρὰ Φρυξί. At tamen non existimem de hoc agi in præsente loco. Refragatur enim aperte series Prophetiæ, quæ hic ad alia se modo extendit, prout supra latius visum. Respiciunt alii ad munitiones & munimenta Politica in quibus omnem fiduciam AntiChristus collocaturus, alii ad munimenta Ecclesiastica & Sacra, Basilicas, templa, ut Templarium introducant Numen, quemadmodum in *præcogn. Theol.* loquitur *Alstedius*, quomodo & templa Arabibus vocentur *Meussim*, unde & forte Turcarum Moscheæ, de quo vide *Graserum* de *AntiChristo.*

LI.

Ad Deum panaceum & Missaticum, qui in Ecclesiâ AntiChristi colitur, referunt fere communiter Orthodoxi Interpretes, moti potissimum hisce fundamentis, *quòd* hic sit Deus præcipuus Romæ, si quidem Heinsii conjectura obtineat, Mausim denotare Romam, *quod* hic in ciboriis habeat suas arculas & munitiones de quibus loquitur Prophetia, secundum illud, *o Mensche, in dit Slot anbid hier wven God, quòd* in altari habeat sedem & stationem in qua prostat & collocatur, *quòd* hæc hostia & quæcunque ad eam faciunt maxime ornentur auro argento gemmis & rebus desiderabilibus, *quòd* & hic Deus vere sit peregrinus Patribusque ignotus, quin & adeo peregrinus, ut testetur *Averroes* Medicus & Philosophus Arabs se *circumiisse omnes regiones, at Christiana sectâ non reperisse deteriorem, eo quod Deum quem colat etiam devoret:* In quem modum & *Cicero l.* 3. de natura Deorum, *quem tam amentem esse putas,*

tas, qui illud quo vescatur credat esse Deum. At quod pace Interpretum dixero, minime convenit recepta & communis expositio hæc; Neque enim ullo modo satisfacit nomini quod à robore & munimento gerit, quid enim affinitatis inter panem cœnæ, & munimenta, arces, robora, ut ab iis nomen habeat suum? Neque convenit cum distinctione quâ distinguitur Mausim ab ipso Deo peregrino *vers.* 39. Neque consistit cum adoratione quæ ipsi *in statione* sua deferenda, quum hostia ubivis, & cum est in manibus Sacerdotis potissimum, honoretur: Diserte enim *Alex. Alensis p.* 4. *q.* 11. *Corpus Christi continetur in illis speciebus inseparabiliter quamdiu salva est forma panis: & ubicunque ponuntur species sive in loco mundo vel immundo sive in ventre muris, ibi esse corpus Christi, atque si canis vel porcus deglutiat hostiam consecratam integram, corpus Domini una cum specie trajici in ventrem canis vel porci*: At hic agitur de adoratione in sede ac statione sua, quæ hinc cum adoratione ea quæ fit in missa non quadrat. Unde & fere nil supereſt quam consonantia quædam in voce, quod lepidum fundamentum: Atque urget tamen *Dorscheus in Tract. de Missa cap.* 2. *Concedimus non esse originationem sed allusionem ad missam, & tum reliqui cultus AntiChristiani copiam idololatricam intelligi, tum jactitatum illud Sacrificium Romanensium: præcipue autem cultus missaticus intelligitur per nomen illud, quod docet & consonantia quædam & colluſio vocabulorum.*

LII.

Joseph Medus in Apostas. Ult. temporis p. 142., quem nuperrime secutus est Cl. Dominus *Jurieux*, per Magnussim intelligit fortes Dei, seu Angelos & Sanctos, quos Roma sibi Numina & Patronos elegit, qui & in imaginibus ac statuis & stationibus suis in templis ad adorandum prostent, atque etiam auro & gemmis cultissime exornentur. At exhibet Prophetia eos Magnussim & fortes quibus homines adhuc fortitudinem addere queunt, qui & hinc proemium nanciscuntur. Neque Sanctorum ac Patronorum cultus est cultus is quem Antiquitas ignoravit, quum econtra totum ex Gentilismo & Angelicismo veteri adsciverit Roma atque adoptarit. Nec illorum cultus tanti in Papatu existimatur, ut ejus Defensoribus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78876974X/phys_0063
DFG

fensoribus dignitates & Provinciæ pro prœmio attribuantur. Quomodo & in Sanctorum cultu à latria distincto ita se explicant, ut hinc adeo peregrinæ & absurdæ idolatriæ rei coargui non queant. Neque adhæc Sancti, qui ex hominibus sunt, sed Angeli soli *Magnussim* & *fortium* nomine in sacris veniunt.

LIII.

Cæterùm collegit summatim sententias varias *Gejerus* in locum. *Hugo de S. Caro & Calvinus volunt esse Jovem Capitolinum. Maldonatus Jovem Olympium: Grotius Martem* θεὸν ῥώμης, *qui ab Antiocho ad exemplum Phœnicum vocantium eum à* עזז ἄζιζον (*unde & Magasin quasi Magnusim*) *colebatur, & ab aliis coli jubebatur. Irenophilus apud Polanum vult Mahometem. Jachiades, AbenEsra, Jesum Nazarenum.*

LIV.

Nemo vero accedit propius ad verum loci sensum quàm *Theodoretus* in Comment. in loc., *Quum Majores AntiChristi agnita naturæ suæ propriæ conditione Deum qui omnibus præest se ipsos nominare non sunt ausi, AntiChristus Deum fortem & potentem* (*hoc enim significat Magnussim*) *se ipsum appellabit. Nam illud* in loco suo glorificabit, *positum fuit pro* se ipsum glorificabit. Accedit prope. Quid enim ille Deus *Magnussim seu roborum* quam *Omnipotentia ipsa Papalis?* Aurigantur huc singulæ textus circumstantiæ, quæ apertissime docent ad AntiChristi regnum esse singula referenda. Considera personam quæ se extollit supra omne id quod Deus est ac dicitur, apparebit explicante 2 *Thess.* 2. *Paulo* hunc esse AntiChristum. Specta Sanctuarii per mille ducentos & nonaginta annos desolationem, non reperies spatium hoc quàm in ea, quam AntiChristus induxit, Ecclesiæ vastatione. Habes & inibi *tempus*, *tempora*, & *dimidium temporis* de quibus *Dan.* 12., sed quæ *Apoc.* 13. referuntur diserte ad Regnum Bestiæ & AntiChristi. Occurrunt etiam hic, notante non semel Angelo, Prophetiæ quæ spectant tempus finis. Rem vero omnem planam facit descriptio illa *Spreti* qui per blanditias regnum occupat, ordinis etiam ac temporis quo occupat. Sed non sufficit reperisse AntiChristum tanquam argumentum de quo locutio fit, demonstrandum etiam

speciatim

speciatim *omnipotentiam* Papæ & AntiChristi esse id de quo proxime agitur. Atque hoc evidens est ex non uno fundamento & capite. 1. Enim hoc unice cum nomine Magnussim convenire deprehenditur, stulte enim arces seu munimenta robusta de templis, pane, & ciboriis interpreteris 2. potestas hæc ingens & magna est id quod quærit & asserit potissimum hic Rex, adeo enim illi studet ut in ejus gratiam cuncta dogmata evertat illique servire faciat. 3. His etiam unice, qui ejus potentiam stabiliunt ac defendunt, terras & provincias in præmium distribuit: Dogmata, & quæ cætera sunt, non curat adeo sollicite. Diserte 4. & simpliciter *vers.* 39. exponitur per *munimenta*, *robora*, & eos qui ipsi faciunt munimenta. Neque omittendum 5. quod distinguitur Deus peregrinus ab ipso Mausim, quod in Missâ non obtinet. Adde 6. quod ita exigat & cogat locus 2 *Th.* 2., ubi de AntiChristo prædicatur quod spreto alio se ipsum suamque potentiam pro Deo debeat habere & venditare. Verùm & hoc volunt 7. præsentis loci singulæ circumstantiæ; quum enim secundum eas hic Deus se magnificat & extollit supra alios omnes Deos, non relinquitur præter AntiChristum ipsum alius Deus.

LV.

Non obstat quod hìc aperte AntiChristus distinguatur à Deo Mausim, tanquam colens à Deo qui ab ipso colitur. Non enim usque adeo insolitum est hoc quod quis se colit suique ipsius existimationem procuret, jure enim Vicarius Principalis sui existimationem in personæ suæ existimatione propugnat acerrime ac defendit. Neque potest is, qui omnem alium Deum ejuravit, habere Deum quenquam quam se ipsum solum. Neque opus etiam est τὸ *colere* interpretari aliter quam cultum & exaltationem ejus Dei insigniter promovere. Et si vel proprie dictus Deitatis hujus cultus intelligatur, est Deitas ea distincta à Rege ipso res, quæ degit & habitat tantum in ipso ac scrinio pectoris sui. Notandum item probe ab AntiChristo coli ac propagari Deitatem *in statione ac sede*: quæ est quasi Ecclesiæ, ejus sedis, & urbis, communis res, quam ipse in diebus regni sui tantum vindicat & asserit.

LVI.

Quàm plene ac vere autem AntiChristus Deus Magnussim & roborum: Notatur hac appellatione 1. quòd *non naturâ* Deus sit, sed à potentia & robore, quod in eo, illud nomen gerat; quâ ratione limitatur & adstringitur per adjectum *Mausim* ejus Deitas. Interea vero 2. & excellentia potestatis & potentiæ supereminentis ipsi per hanc prædicationem positivè, sive vere sive per arrogantiam & usurpationem, attribuitur: Magnam enim eam oportet necessario esse, quia in plurali legitur *robora*, & ex eâ Divinitas arcessitur, quam & exercet & exercere præsumit in Cœlo, purgatorio, Politia, Ecclesia, & conscientiâ. Convenit & 3. appositè *Magnos* cum loco & sede hujus potentiæ & Dominationis, quæ est urbs Roma; Est enim hæc ea urbs quæ non solum nomen à potentia & robore gerit (unde & prius Valentiam dictam volunt) sed & potentias mundi in se continet. Quoad etiam 4. מעוז, *Magnos*, *Petram* significat, simul circumstantia successionis in Petrinam sedem, quæ adeo venditatur à Rege hoc, implicite hoc nomine indigitata fuisse censeri posset; Cui sedi & successioni hoc imputant, quod inferorum portæ ac robora Ecclesiæ non prævalent: Vidit etiam per transennam hoc ultimum *Dolingius de Interitu AntiChristi Lib. II. Cap. XII. Voce Magnussim in præcedentibus Daniel aliquoties usus fuit, per eam intelligens munitiones arcesque munitissimas. Hac occasione simpliciter hoc loco intelligi possunt templa in honorem Petri aliorumque Sanctorum structa. Per Deos munitionum intelliguntur procul dubio Dii tutelares Papistarum, quorum honoribus ædes istæ consecrantur: horum Deorum præcipuus appellatur Petrus, à Petra (Hebræis Magnos) nomen gerens, unde & primariæ Pontificiorum ædes huic Divo Sacræ sunt.*

LVII.

Neque mirum AntiChristum & Pontificem appellari *Deum*: Præter hoc enim quod est roboris & potentiæ Deus, notare convenit eum velle esse imaginem & Vicarium Dei, quin & pectore suo concludere & continere Deitatem & Spiritum Dei. Sed & habetur reapse pro Deo, in prædicatione quæ de ipso fit, in pompa quæ & in altare ipsum collocat, tum & ipso opere, quum oraculum

culum infallibile in Ecclesia est, quum peccata dimittit aut retinet, spiritum fundit, leges conscientiam obligantes fert, de lege ac præcepto Dei dispensat &c.

LVIII

Neque tamen simpliciter coli Deus Mausim vult sed *in statione ac sede sua*. Non sufficit huic Regi pro se Deum & potentem esse, pugnatur & pro sedis authoritate ac dignitate. Est hic genius AntiChristi velle habere regnum observabile, & dicere *hic ibi est Matth.* 24: 26. *Luc.* 17: 20. Tenetur diu à mulieribus binis, Ecclesiâ Constantinopolitanâ & Romanâ, Epha i. e. mensura pabuli cognitionis ac veritatis in suspenso, *trahiturque huc illuc, donec tandem illi cathedra & sedes collocatur in terrâ Sinear*, seu Babel *Zach.* 5. Quod de statione ac sede *Daniel* adjicit, id notat 1. habere cathedram stationem ac Sedem Deum Mausim; quod probè convenit cum Pontifice Romano, ejusque in Ecclesia προεδρία 2. certam item ac fixam prætendi sedem, neque perinde esse ubi locetur, quæratur, & adeatur. Sed & 3. Romanam sedem, in quâ nimirum agit & dominatur ille qui Deus Mausim esse vult, quæ & *Petri*, cui promissio major videtur facta, sedes vulgo creditur, tum & longissima orthodoxia inclyta est, orbique fere universo olim dominatur. Urgetur vero simul adeo hæc statio & sedes, tum quod ex eâ dignitas & existimatio ad Deum Mausim derivatur, tum ut hic Deus sibi & successoribus suis illum honorem & cultum perpetuò adstringat & asserat, tum & quod in eo simul ratio colendi consistit, quod necessitate quavis efflagitante consulenda & adeunda hæc sit sedes, quæ in controversiâ decidit, peccata remittit, gratias & quæcunque ad salutem necessaria sunt largissime effundit.

LIX.

Exserit vero hic Deus potentiarum è sede suâ non unam potentiam & Deitatem. Ea 1. *Ecclesiastica* est, quum ut Deus olim in templo Dei sedet, oracula infallibilia fundit, leges & statuta fert ac immutat, munia distribuit, concilia convocat, potestatem supremam clavium exercet, omniaque illa, at majori cum authoritate, peragit, quæ olim dictitii in Israële Dii peragebant.

Huic est conjuncta 2. potentia & Deitas *Politica*, quam censet de jure sibi competere in universum orbem, exercet vero actu tantum in Christianos qui aut directe aut indirecte ipsi subsunt. Hæc potentia illa est quâ & summos Imperantes pro libitu constituit aut destituit, ponit & deponit, quam & Canonistæ inter Pontificios immodicam, Theologi mediocrem, Politici vero, quibus singuli fere annumerandi Franci, tenuem & limitatam faciunt. Accedit vero ad binas has 3. potentia & Deitas *Spiritualis*, cujus vi peccata remittit, conscientiis imperat, cœlum & divina quæque in manu habet, spiritum etiam & necessaria quæque elargitur. Exserit hinc vere in plurali *potentias*; Non una enim ea est, tum ratione generis, tum ratione locorum in quibus imperat, tum ratione partium, denique & graduum.

LX.

Non venerunt autem uno impetu potestates hæ, sed successive se invicem in secutæ sunt: Primum sedis robur, *Opes*, *Eleemosynæ*, & *Agapæ* immodicæ fuerunt: Quas & injuria primi temporis singulari modo exegit, & pietas prima Confessorum secus tamen cuncta in Palæstinâ ac persecutione relinquentium sponte & largiter suppeditavit: *Dabantur autem Eleemosynæ omnes in Præsidum manus* teste Justino Apol. 2., exemplo credentium primorum qui ad pedes Apostolorum bona sua deponebant. Hi vero Præsides paulatim hæc sibi vindicaverunt, quod nunc in Italiâ adeo fit impudenter, ut ultro id fateantur, inquientes, se per votum paupertatis proximos & potissimos esse inter pauperes quibus bona primitus destinata sunt. Ad opes & divitias proximè *Authoritas* Ecclesiæ primæ accessit, quæ tum ex successione Apostolicâ, tum ex fulgore extraordinario miraculoso tunc erat tanta, ut scriberet Augustinus, *Non crederem Evangelio nisi me Ecclesiæ commoveret authoritas*; Atque erat authoritas hæc tunc res talis quam non ægrè ferebant in iis qui rei sacræ præerant: Qui enim conversi tunc ex Judæis, illi assueverant cathedræ, qui accesserant ex gentibus jam tolerarant diu Pontifices Maximos, sed & Christiani ipsi jamdudum privâ & majori authoritate res peregerant & constituerant suas, quippe dijudicabant civiles etiam controversias,

ne ad

ne ad politica deferrentur tribunalia, æquabant hinc etiam in Disciplinâ censuras Ecclesiasticas pœnis criminalibus, ne inulta manerent Christianorum scelera. Ex authoritate & opulentiâ hâc enata tandem est *potentia Episcopalis*, postquam pietas Imperatorum & thronos in Conciliis dederat, & judicia Christianorum charitativa in audientias Episcopales commutarat. Venit post, sive per conniventiam sive per donationem Principum, *potestas temporalis* & jus gladii, sed ad coercendum tantùm suum clerum, donec *Carolus Magnus* concederet etiam Provincias & Principatus, quin & ruditas ferreorum sæculorum attribueret ipsis, saltem legere & scribere unice peritis, munia Consiliariatus & Cancellariatus. Atque hoc quidem commune omnibus erat. Navavit autem præ aliis insignem operam Episcopus Romanus. Quo & effectum est ut valdè augeret potentiam Ecclesiasticam, & Episcopi alii ipsi subjicerentur; Quo obtento & triumphavit facile de potentia politicâ Principum & Imperantium, quos pessum dedit, aut saltem obnoxios fecit. Ad culmen vero & fastigium hæc potentia processit, quum Tyrannidem AntiChristi tanquam Vicarius Dei obtinuit, & universalia totius Christiani orbis Concilia sibi nutuique suo tandem subjecit: Sunt enim hæc ultima bina, non tantum potentiæ novæ priores cunctas antegressæ, sed & munimenta firma potestatum priorum, ex quibus eæ suum robur trahunt; Qui enim secundum indolem AntiChristiani fastigii claves cœli ac inferni habet, Christique in ternis Vicarius est, ille merito & habet hoc quod Rex & Episcopus omnis illi assurgit & primas cedit. Atque sic generaliter quidem.

LXI.

Qui specialius & distincte hæc expendere gestit, ille separet ea tempora in quibus caput efferre cœpit & consummata fuit potestas hæc. 1. Ova posita sunt, ac operatum jam fuit tempore Pauli 2 *Th.* 2. iniquitatis mysterium: Fuerunt quippe probatio ex præscriptione, Appellatio ad sedem quandam Apostolicam, Expositio secundum sensum Catholicum, Adoptationes rituum paganorum, judicia charitativa, Reprehensio immoderatæ è suggestu, Rigor Ecclesiasticæ disciplinæ, Amatæ & exambitæ protocathedriæ,

driæ, prima, ex quibus crevit AntiChristianismus, semina & fundamenta 2. Dehinc throni bestiæ positi sunt. Neque enim venit solum distinctio inter Præsbyterum, Episcopum, ArchiEpiscopum, sed & data fuit his potestas judicandi & decidendi. Post hæc initia 3. Præsul Romanus conservos suos pressit, qui & tandem à Phocâ titulum universalis Episcopi obtinuit; Pressit vero per *exemptiones* Monachorum, Academiarum, Capitulorum Cathedralium, Missorum Commendatariorum, Suffraganeorum, Provincialium Synodorum, per *confirmationem* in officio à sede Romana petendam, per *casus reservatos* in quibus alii non possunt absolvere & judicare, per *dispensationis* quas elargitur sedes, per *appellationes*, & mille alia fraudum nomina. Sed & 4. idem Præsul se exemit Civili & Politicæ potestati, in personis, in reditibus & bonis, quin & collatione munerum Ecclesiasticorum ac investiturâ. At & erupit 5. tota res in nervum, aperteque fuit tentatum id ad quod molitio tota comparata erat: Nimirum arrepta fuit summa etiam Politica in Reges & Principes omnes potestas, qui Papæ pedes osculari ipsique homagium & juramentum fidelitatis præstare cogebantur. Cujus quidem hæc fuit series; Primò Audientiæ Episcopalis erectæ sunt, in quibus etiam civiles controversiæ dirimerentur: Concessum insuper jus gladii ad frenandum eo melius clerum; Distributæ item Provinciæ: At non substitit hìc infrunita temporalium cupido, sed Principes sibi subjectos voluit insatiata ambitio, quod & per disciplinam Ecclesiasticam, & per consecrationem Pontificiam in inauguratione Imperatoris, quam aut dederunt aut negarunt, potissimum effectui dare norunt.

LXII.

Non vero sine causâ loquitur Daniel Regis hujus *munimenta & robora*; Tam enim est firmata hujus Dei Mausim Monarchia, ut nulla ab orbe condito comparari cum ea queat. Cujus firmitatis generatim mihi tria videntur esse fundamenta, Principia Sanctitatis & conscientiæ, quibus tota nititur & insistit: Diffusio ejus ampla per totum Christianum orbem, in quo nervos habet & qui pro commodis ejus militant; Tum & Connexio arcta & necessitudo,

cessitudo, quæ hominibus etiam iis qui extra sunt cum hac Hierarchia intercedit. Loquatur de fundamento primo & principiis conscientiæ infixis Nobilissimus ille *Edwin Sandis de Statu Eccl. Occid. cap.* 8. *Ick geloof dan dat'er nimmermeer in de VVereld van't Menschlik verstand een Staat gegrondvest of bedacht is gevveest zoo machtig en zoo krachtig als deze. Men heeft voor af laaten gaen zekere vaststellingen, vvaeraen men een ygelick verbind omze vast te houden als onbevvysbare beginselen. Eerstelick: Datse zyn de Kercke Gods, binnen vvelcke men alle lichtigheyd en daar buyten ganschgene mogelickheyd heeft van Zaligheyd. Ten tweeden: Datse door een byzondre genade Gods boven alle andere Menschen hebben het vorrecht van noyt te kunnen missen, noch te kunnen afvallen van God, zyn genade, ofte vvarheyd. Ten derden: Dat den Paus, gelyck als Christi groote en algemeene Stadhouder, de bevvaring heeft van de Sleutelen des Hemelrycks om in te laten of uyt te sluyten, zulcke als het hem belieft. Ten vierden: Dat de bezorging van alle Zielen in de VVereld hem van God aanbevolen zynde, hy gevolchelyck oock is een Opperalgemeen Prince dezes VVerelds, soo veel hooger verheven boven de mogentheyd van andre Princen, als verr de Ziel het Lichaem overtreft &c. Met deeze en diergelycke konstenaryen hebbense opgerecht deez zoo machtige Monarchy, devvelcke haar gevende eenen gerechtseygenenden tytel tot de beheersching der geheeler VVereld deselve noch bestendigt op een zeer vasten grondvest, namentlyck het Gemoed en Gevvissen aller Menschen: Een grond veel hechter en louterder dan alle andre, om'er de gehoorzaamheyd des geheelen VVerelds op te bouvven: Een grondvest die niet alleen alle de leden des zelfs verbind en sluyt, maer die oock alle andre Staten hoe groot en hoe vermogende dezelve mogen zyn ondergraeft en ondervvroet omze aan haar te ondervverpen: Niets te vverck stellende dan slechs de Kloosters en Genootschappen om zoo groote dingen uyt te voeren als alle de andre noch met Stercktens noch met bezettingen noch met machtige Heyrlegers hebben vveten te vveg te brengen.* Laudata fuit etiam Diffusio ampla potestatis per totum Christianum orbem: hanc habet & exercet libere in cunctis illis *Exemptis* qui ipsi Pontifici sunt immediate subjecti, in *jurisdictionibus* dispersis Episcoporum, qui ab eo pendent

pendent tanquam capite & Confirmatore, tum & potissimum in *Myriadibus & Legionibus Monachorum*, qui Militum instar strenuam ubivis Pontifici navant operam; per hos enim novit corda flectere, hæresin perdere, exercitus adornare, quin & Principes ac Reges minus faventes & obsequiosos è medio tollere: peraguntque id hi tam feliciter potentiâque tam terribili ut impune patrent; quod *cap.* 17. adnotat *Sandis*, *In Vranckryck heeft de Koning toegelaeten dat door't besluyt van Zyn Parlament de Jesuiten uyt het Rijck verdreven zyn, uyt oorzaeck van den toeleg op Zyn Majesteyts Persoon door Castel een Leerling der Jesuyten: Maar de de Koning self is niet al te standvastig gevveest om het besluyt van zyn Parlament staende te houden, hebbende in't Hert de vrees ontfangen: oock vvas hy niet zorgvuldig genoeg in het vreeken van de Dood zyns Voorzaats, door een Jakobyn doorsteken, aan de geheele orde, alzoo machtig en ontsachelijck als die der Jesuiten: Ja dat meer is hy liet het met de Kapucynen zachtjes doorglippen, nae de Moordonder neeming van eenen Barriere tegen zyn eygen Persoon te vverck gestelt &c.* Neque minorem Deo Mausim nervum affert Connexio illa & necessitudo ingens, quæ ipsum & homines alios inter arctissima intercedit, quæque minime patitur ac fert Monarchiæ hujus interitum ac dissolutionem; Connexi sunt cum eo in antecessum quivis Laici & privati, qui de necessitate salutis suæ esse putant subesse Pontifici Romano, & ab eo orginaliter habere & obtinere gratiam quamcunque spiritualem. Connexio intercedit similiter cuivis cum hac Monarchiâ quoad Ecclesiasticas dignitates & Monasteria, quæ sunt solamen & columen familiæ Principis & privatæ. Huc refer non minus totas Regum & Soliorum Regalium possessiones, quarum jura & successiones unice fundantur in dispensatione & omnipotentia Pontificia Dei roborum & Mausim. Vid. *Sandis cap. XI.* Connectuntur & arctiori ac singulari quodam vinculo Seculares, quod hinc & singulatim notari meretur, estque id non unum genere ac numero; Primum est *Devotarum*, quæ per gradus Activæ, Contemplativæ, & Ecstaticæ vitæ à Patre Directore aut Seraphico seu Mystico Doctore se duci patiuntur, certisque septimanæ diebus indesinenter congregantur: Describit

has

has breviter Dominus *d' Emiliane*, nuperrime ex Pontificio Reformatus, in *Historia fraudum Ecclesiasticarum part.* 1. *Ep.* 4., *Zy vverden in Italien gezegende Dochters, Goede Zusters, en Devotarissen genaemt. De bestierende Paters toonen zich zeer yverig tot de toeneminge derzelve in het mysterieuse leven, ende zy houden daermede niet af voor dat zy haar soodanig van de liefde tot de goederen dezes VVerelds hebben ontbloot, en daer haere Herten van afgetrocken, dat zy om zich daervan te ontlasten dezelve aen haer Clooster hebben overgegeven: Alsdan zijn dezelve tot volmacktheyt gekomen; Sy noemen haer voortaen Susters: Sy geven dezelve te verstaen dat aangesien zy haere goederen aen haere Clooster hebben geschoncken het zelve even soo veel is als of sy belydenis van haere Order hadden gedaen: Zy geven haer haere kleene schouderkleederen, en maecken zy daer door deelachtig aen alle de goede vvercken van de geheele Ordre, en aen alle de genaedengiften, voorrechten, en Zegeningen aen deselve vergondt.* Non minus connectuntur Seculares vinculo *Confraternitatum*, quas describit in laudatissimo opere idem *d' Emiliane part.* 2. *E.* 5., *Een Gebroederschap is een associatie van verscheyde Persoonon, vvelcke zich te saemen vereenigen om op zeekere vastgestelde tijden een Godvruchtigen dienst af te leggen aen God, aen de H. Maget Maria, ofte een ander Heylige, op een vvyse vvelcke aen een yder niet bekend is. Die geene vvelcke daer van de bestieringe heeft is een van de meest geoeffende Vaders. Men moet zich by hem begeven om in het Broederschap ontfangen te vverden, en zich te doen aenteekenen; Sulcks kost ten minsten een Rycksdaelder: Men moet daet jaerlicks op dien dag vernieuvven, anders vvord gy uytgeschrapt en hebt geen deel meer aen de Gebeden en aflaten. Daer boven moet gy alle maend eenig Geld geven, het vvelck sij het Lichtgeld voor de Capelle noemen, in vvelcke het Gebroederschap is aengestelt. Ick heb Broederschappen van tvvintig duysend gezien. De vermogenste van deselve vvorden aengeprickelt tot het houden van het Feest van de Sanct of Sanctinne, tot vvelckers eere het Gebroederschap is ingestelt: en om meerder gelegentheyd tot het houden van die Feesten te geven, hebbenze in yder vveck dagen voor byzondre Gebroederschappen gestelt.* Aliud & destinctum ab his est illud Secularium vinculum, quo ad participandum

pandum de meritis quasi in ipsam Societatem recipiuntur. Quæ cuncta, arcana Dominationis, & munimenta fortissima Dei Mausim sunt.

LXIII.

Si quis in fontes opum & divitiarum inquirit, quæ vere nervus rerum gerendarum sunt, reperiet eos nondum ita exaruisse, quin indies ex iis proventus uberrimus emergat. Hi vero sunt *Purgatorium*, *Eleemosynæ* quas sibi tanquam voto pauperes rapiunt, *Missæ*, *Indulgentiæ*, *Pœnitentiarii nummi*, *Miracula statuis & reliquiis certi loci afficta*, *Xenodochia*, quorum reditus ordines certi dispensant, *Confraternitates* festa septimanatim iterantes, *Altaria Privilegiata* quæ hinc maxime adeuntur, *Processiones numerosa* vacuisque manibus nunquam loca sacra relinquentes &c. Habentur enim in Italia Processiones ab his qui faces & marsupia tenent manibus *Emilian. part. 2. Epist. 7.* Sunt altaria privilegiata, quibus indulgentiæ copiose affixæ, & super quibus oblata missa statim efficax est. De Confraternitatibus fuit supra visum. De Xenodochiis Italiæ scripsit caput integrum *d' Emil. p. 2. ep. 3.*, qui & summatim de iis in principio, *Het is een beklaeglijcke zaecke te sien op hoe een onbermhertige vvijse sy daerin die lieden handelen, tervvylen de Prieesters alle het inkomen in haeren buydel steecken, om hare Carossen te konnen onderhouden.* De miraculosis statuis & purgatorio non minus eleganter *d' Emiliane p. 1. ep. IV. & part. 2. ep. V. Sy vinden nae het Vaegevyer geen beter middel om haere gierigheijd te stillen en te versaedigen, als van tijd tot tijdt eenige miraculen te verdighten, vvelcke sij seggen in haer Kercken geschiedt te zijn. Ick zegge nae het Vaegevijer, 't vvelck in der vvaerheijd een vvelle voor haer is uyt vvelcke vry meer Rijckdommen opschieten, om dat die zaecke veel algemeender is. Alle de Menschen moeten sterven, ende alle de geprædestineerde moeten ten minsten door de vlammen des Vaegevijers gaen voor eenige ueren ofte eenige daegen. Van deselve is niemand vrij gevveest als de Heylige Maeget, ende dat nog door een byzonder voorrecht. Dit veroorsackt dater niet een is, die geen Geld, om daer voor Missen nae zijn dood te doen, beschickt. En zy houden staende dat in dit stuck geen buytensporigheijd sijn kan, sich steunende op desen grond-*

regel

regel, dat een vvelgeschickte liefde van zich selv begind, charitas bene ordinata incipit à se ipsa: Soodanig dat een Vader, vvelcke alle zijn Kinderen quam te onterven om zijn goederen de Priesters te geven ten eynde dezelve God voor zyn Ziele souden bidden, haer geen ongelijck zoude doen, ende zy souden hem doen achten voor een Mensche vvelcke met vleesch en bloede niet hadde te rade gegaen, doen het 'er op aenquam om op het vvelvveesen van zijn Ziele te dencken. Zy vveeten oock de lust tot de Bloetvrienden door schoone discoursen te verdrijven: Aen het voeteneynde van het Bed vvord de ziecken een schilderij van de tormenten in het Vagevijer gestelt, en haer niets als van Gods rechtverdigheijt toegesproocken: Sy voegen daer by dat de naegelatene Vrienden VVerelds van herte zijn, en buyten tvvyffel het goed haer overgedragen seer qualijck aen leggen zouden, en dat haer Geld naetelaten even eens vvas als of men een Mes aen een Kind of dvvaes gaaf, vvelcke zich daer mede konden quetsen. Aldus zouden zy middelen geven om God te vertoornen en haer selven te verdoemen, en zy Ziecken souden daer over voor God verantvvoordelick zijn &c. In Missis notat laudat Laudatus Author arcanum *reductionis*. Reducunt enim Missas centum cantandas ad unam, quum ea solenniter celebratur, sicque æquivalet aliis centum: Sed & reductione majore substituunt pro myriadibus unam, quæ nimirum in altari privilegiato, seu cui indulgentiæ copiose adjunctæ, celebrata fuit; quo pacto facile ipsis nova lucra indies venari.

LXIV.

Neque desunt Pontifici extraordinaria ingentem auri vim colligendi adminicula & media. Non menses Papales, Annatas, casus reservatos commemoro. Hæc enim obvia & tenuia sunt. Differunt ab his, quæ habet *Edvvin Sandis cap. XXIX.* Als nu veele vervalletjes en erffenissen aen de Conventen gecomen, vereischt en de reden en billijkheijd vinden 't goed, en de belofte van armoede dieze doen gebied het, dat, vvanner ze al te vol en vet zijn, zijn Heyligheijd haer een gedeelte des bloeds uyt de al te zeer gezvvollen en gespannen aderen aftrekke, om het tot onderhoud van Zijn Grootheijd en Mogentheijd te bekeeren: Gelijck Paus Sixtus de V. gedaen heeft, die de overtolligheyden van veele rijcke Conventen besnoeyde, als beter passende

sende aen de hoogheijd van sijn Staet en de edelmoedige voornemens, dan aen die genen die belofte van Armoede hebben gedaen, en die haar oock van haere Instellers zoo hooglijck anbevolen is gevvest. De tegenvvoordige Paus gaet hierin met meerder maetigheijd te vverck: Te vveten by vvege van leening, 't geen, zoo ick geloof, eyndelick op een uytkomen zal. Insgelijcks vvanneer den oorlog tegens den Turck of andere Vyanden van de Kerck komt te vereyschen dat men de hand in de Spaerkist stecke, zoo heeft de Paus de gevvoonte zekere schattingen en onderstandsgelden te zetten op het inkomen van alle Abdyen en Conventen en de verdere Geestelijckheijd, die tot vry groote Sommen beloopen. Hier zoude ick by kunnen voegen het inkomen dat hy treckt uyt den buytenlandschen steet in zijn Koopmanschappen, als daer zijn extraordinaire indulgentzen, en vrygevingen, voor al in de Houvvelijcken in verbooden grad van Maagschap, en andere diergelijcke afvaardigingen &c. Conjunge cum his quæ part. 2. Ep. VIII. d' Emiliane narrat, Het is noch niet lange geleden, dat seecker Paus drie Ordren te gelijk vernietigde, als de Ordre van S. Hieronymus, van de Jesuaten, en van de VVateren, en alle haere besittingen aen de H. Stoel vereenigde. Hier voor zijn de Monicken alle vervaerde ende, de Pausen, die dat vveten, hebben haer daermede maer te dreygen als zy mercklicke Sommen Gelds van haar vvillen trecken; Soo als den Paus Innocentius XI. dickmaels gedaen heeft aen de Ordre van de Reguliere Canonicken, en aen verscheyde Congregatien van de Ordre van S. Benedictus: Die van den Olyvberg sonden op een reys een geschenck van hondert duysent Rijcksdaelers, om de gramschap van zijn Heyligheyd te stillen: De Cardinaelen vvelcke zien dat de Pausen soo merckelijcke voordeelen van de Religieuse Ordren trecken, doen van haer kant mede al vvat zy konnen, om' er de hand mede in te krygen. Sy verkoopen haer voor reede penningen haere protectie oft beschermingе. Yder Order heeft sijn Cardinael Beschermheer oft Protecteur, vvelcke een jaerlijks inkomen daervoor heeft van drie oft vier duysent Rijcksdaelders. Dit geven zy alleen, om by gelegentheyt an't Roemsche Hov beschermt te vvorden. De Abten van de vergaedering van den Olyvberg, siende dat Innocentius XI. beslooten hadde immers sich geliet haer Ordre te vvillen vernietigen, namen haer toe-

vlucht

vlucht tot haeren Protector den Cardinuel Faskinetti. Sy schreven hem een briev, in vvelcke zy hem het gevaer uytleyden, en baden hem zeer ootmoedelick sijn vermoogen by den H. Vader vvillen te vverck stellen tot behoudenis van haere Ordre, en dat zy ten opsichte van zoo merckelijcken dienst zijn loon yder Jaer met duysent Rijcksdaelders zouden vermeerderen. Ick vvas tegenvvoordig, toen den Cardinael dien briev opende, en hy ziende de belofte devvelcke men hem deed, riep hy met een zeer teder geovelen uyt; Mijn hertslieve Congregatie van den Olyvberg, Ick zal niet lyden dat gesegt vverd, dat gy soo svvaere beleediging hebt moeten verdraegen, tervvylen ick u Protecteur ben gevvest. Hi zond aenstonds zyn Geheymschryver aen het Pausselicke Paleys, om te verneemen of hy gehoor by sijn Heyligheyd zoude konnen krygen over een haestvereysschende ende zeer gevvichtige saecke. Het selve vvierd hem gegeven, even op dien tyd doen men bezigh vvas om het geschrift van de vernietinge van de Ordre op te stellen. Zyn Eminentie vvierp zich aen de voeten van zijn Heyligheyd, en seyde hem al vveenende, dat hy hem in het grav soude brengen, indien hy in dat sijn besluyt volhardde. Den Paus hiev hem met veel goedheyd op, ende vvilde hem niet bedroeven, als zijnde zyn ouden Vriend. Hy beloovde hem dat ten opsichte van hem die Ordre niet soude vernietigt vvorden. Oock ziet men in der daet dat dezelve noch op heden in vvesen is, hoevvel de Monicken niet beter zyn, dan ten tyde doen men dezelve vvilde vernietigen.

LXV.

Fulcra habet secus, Dominatio hæc, valida, & non unius generis, *Ecclesiastica*, *Sacra*, *Politica*, *Diabolica*. *Ecclesiastica* erant & sunt, Mos receptus Pontificatus Maximi tam in V. T. quam Gentilismo: Potestas & authoritas priva ab Ecclesia exercita ante conversionem mundi & Principum: Sedes Petri, cui singularis videbatur adhærere prærogativa: Successio Apostolica: Potestas miraculosa excommunicandi & perdendi: Maternitas Ecclesiæ Romanæ in Occidente, & perpetuum Ecclesiarum ad hanc suam Matrem confugium: Authoritas & existimatio ingens acquisita Sedi per continua primorum Episcoporum Martyria, longam Orthodoxiam, hæreseos expurgationem, Conciliorum procuratio-

nem: Constantia sedis, dum aliæ volitant velut umbræ: Denique & Consecratio & benedictio, quam Romanus Episcopus pronunciat in coronatione Imperatoris Romani; Effecit enim hæc ceremonia tandem, ut is tandem fieret & inauguraretur Imperator, qui Pontifici & Episcopo Romano placebat. Magis valida & conscientiæ hominum altius infixa sunt fulcra *Sacra*, quæ *in* doctrina occurrunt, quæ tota ad Dominium Dei Mausim est detorta, *in* Sacramentis ex intentione Ministri operantibus, quæ potestatem & venerationem ipsius pro aucta eorum multitudine etiam adaugent, *in* disciplina & potestate clavium, qua absolvit & retinet peccata, dat & rapit coronas pro libitu: Adde his Nomina & Munia Sacra quæ ipse sibi imposuit & attribuit, v. g. Capitis Ecclesiæ, Vicarii Christi, Episcopi Universalis, quæ sponte subjectionem à quovis eliciunt: Laudatur item unitas Ecclesiæ, quæ non stabiliri aut retineri queat, nisi per unum universale caput, quod omni omnino membro præfectum sit. Sunt *Politica* fulcra: Potestas generalis Papæ, ipsi propria qua Christi Vicario: Jurisdictiones Ecclesiasticæ per totum orbem Christianum dispersæ, ipsique sociam operari ministrantes: Ordines Sacri & Monachi, qui strenuam ubivis ipsi navant operam: Capitulatio Imperantium ac Principum, quoad se in iis obstringunt Romanæ sedi: Tituli & jura regnandi fundata unicè in Pontificis authoritate & omnipotente dispensatione: Commoda dignitatum & redituum, quæ Principes æque ac privatorum familias inescant, faciuntque cum Tyro scortari. *Diabolica* voco fulcra & stabilimenta voco, Inflexionem doctrinæ ad palatum, qua fides Tyriæ, emollito omni rudi, svavius canunt, Collisiones Principum inter se ad atterendam ipsorum potentiam, Apparitiones confictas, Signa mendacia, Hypotheses falsas, Veneficia & cædes, quando id ratio Status exigit, Cæcam fidem & potestatem tenebrarum, in qua juvenis incautus seducitur, capitur, & irretitus detinetur & captivatur. Non abnuo tamen subinde permittente Deo etiam signa quædam fieri, quæ extraordinaria fulcra dici possunt; Edituri enim erant Pseudoprophetæ tanta signa quibus vel electi, si posset fieri, seducerentur *Matth.* 24. Facit & de cœlo ignem cadere Bestia *Apoc.* 13.

Quò

Quò & cessio Diaboli ex obsessis, & anxietas furum post Missam Antonii de Padua lectam referri queunt: At hoc modo explorat & tentat Deus tantum constantiam vere credentium, indurat verò & punit graviter superstitionem hæreticorum & hostium: quemadmodum & olim in V. T. in signis Pseudoprophetarum.

LXVI.

Historia surgentis Dominationis Dei Mausim, hæc est. A tempore Apostolorum *Mysterium iniquitatis operatum fuit modo* 2 *Th.* 2., eratque *spiritus AntiChristi tunc etiam in mundo* 1 *Joh.* 2: 18. Contendebant Discipuli Christi vehementer de Primatu, hinc fieri etiam potuit ut primi Romanæ Ecclesiæ Episcopi hunc haberent nævum, ut propter urbis Romanæ Majestatem, propter Apostolicam successionem & sedem, tum & propter operam & pugnam in fauce leonis insignem, cæteris haberi superiores affectarent: Quæ etsi initio humana inbecillitas esset, tamen interim Diabolus hoc egit, ut suam sedem & cathedram ibi erigeret. Inde certat acriter circa medium secundi seculi *Anicetus* cum *Polycarpo* Ecclesiæ Smyrnensis Episcopo, quem ad observationem Jejunii sui Anicetus cogere vult. Hunc Paulo post *Victor* secutus est, qui ob consuetudinem celebrandi Paschatis neglectam omnes Ecclesias Asiaticas anathemate percutere & à communionis societate abscondere non exhorruit. Post *Cornelius* Episcopus Romanus acceptat pronus honorem, quum Africani in electione Fortunati Episcopi consensum ipsius implorarent; Quod graviter ipsi *Cyprianus* exprobrat in Epistolis. Inde item *Stephanus* I. excommunicat omnes, qui per Ciliciam, Cappadociam, & Galatiam Hæreticos rebaptizabant: Unde fuit quod *Irenæus* in Ecclesiam Romanam censoriam virgulam stringit, editis libris de *Schismate* & *Monarchia Dei*, quod & *Tertullianus* nascentem Paparum ambitionem *lib. de pudicitia* perstringit, *Audio*, inquit, *edictum esse propositum, & quidem peremptorium, Pontifex sc. Maximus, Episcopus Episcoporum dicit.*

At nondum erat ὁ κατέχων *è medio sublatus*; unde nec ita extendere brachia iniquitas poterat 2 *Th.* 2. Intelligitur verò per κατέχοντος remotionem, ablatio gentilismi aut sedis Draconis, tum inclinatio

inclinatio Imperii Romani in Cæsaribus & Exarchis, denique & profligatio potestatis omnis barbaricæ quæ Italiam occupabat: Hæc enim pariter mysterio & dominationi iniquitatis obicem posuerunt. Potest vero sublatio è medio, *simul* esse absentia Imperatoris sedem Constantinopolim transferentis, *simul* expulsio ejus ex imperio, quod hactenus in Occidente tenuerat. Ita eventus sed & Patres interpretantur: Ambrosius in loc., *Priusquam AntiChristus venit, Romanum imperium debilitandum, at ille Romanis sub suo nomine libertatem restituet.* Hieronymus ad Algasiam, *AntiChristus in Ecclesia sedebit: Non vult dicere Apostolus apertè Romanum Imperium destruendum antequam veniat AntiChristus, ne justa causa persecutionis in Ecclesia consurgere videretur.* Gemina his habet Augustinus lib. 20. cap. 19, Retract. *Quidam putant hoc dictum fuisse de Imperio Romano, & propterea Apostolum non id aperte scribere voluisse, ne in calumniam incurreret quod Imperio Romano male optaverit. Non absurde de Romano Imperio creditur dictum, tantum qui modo imperat imperet, donec de medio fiat id est de medio tollatur.* Atque vere sic evenit; continere enim semet spiritus AntiChristi debuit, donec Imperio Romano (per Gothos & cæteras barbaras gentes in Occidente vastato) tempore Caroli Magni recuperato, in lucem manifestam erumperet, donantibus largiter *Pipino, Carolo M.*, & *Ludovico Pio*, quibus pro gratia hac totum Imperium à Pontifice redonatum fuit: quemadmodum & ante *Phocas* ac *Bonifacius* in universalis Episcopatus concessione mutuam sibi operam præstiterant. Quod & semper in exaltatione Pontificis ita observare & videre licet.

Neque tamen usque ad tempora Caroli otiosa fuit Romana Sedes, sed gnaviter pertexere telam perrexit, postquam orsa fuit. Bene se habet, quod Æneas Sylvius seu Pius II. Ep. 301. fatetur, *Ante Nicenam Synodum unusquisque sibi vivebat, & parvus respectus ad Romanam Ecclesiam habebatur*: at, ascendente solium Episcopale *Damaso*, insignis admodum mutatio Ecclesiæ Romanæ fuit circa annum Christi 369.; adeo enim exseruit tunc glisceus bestia lacertos, ut fastum & insolentiam dehortantibus cedere porro noluerit; Rem enarrat Ammianus Marcellinus lib. 27.,

Damasus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78876974X/phys_0080
DFG

Damasus & Ursicinus, supra humanum modum ad rapiendam Episcopalem sedem ardentes, scissis studiis asperrime conflictabantur, adusque mortis vulnerumque discrimina. Quæ nec corrigere sufficiens Viventius nec mollire, vi magna coactus secessit in suburbanum: & in concertatione superaverat Damasus, parte, quæ ei favebat, instante: Constat in Basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum, uno die centum triginta septem reperta cadavera peremptorum, efferatamque diu plebem ægre postea delinitam. Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans urbanarum, hujus rei cupidos, ad impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere, cum id adepti ditentur oblationibus Matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo ut eorum convivia regales superent mensas. Qui esse poterant beati, si magnitudine urbis despectâ ad imitationem quorundam Provincialium viverent, quos tenuitas edendi potandique, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia perpetuo Numini verisque ejus cultoribus ut puros se commendant & verecundos. Inde Damasus Papa factus ad Constantinopolitanam Synodum perscribit his verbis, *Quod debitam reverentiam Apostolicæ sedi vestra habet Charitas, vobis Filii charissimi, Theodoret. lib. 5. c. 9.* Filios vocat, non Fratres: vultque reverentiam exhiberi Apostolicæ sedi. Inde porro hâc ætate Diaconi Romani præferri etiam aliis voluerunt paresque presbyteris esse *August. quæst. 101. in V. & N. T.* Fuerunt autem acerrimi propugnatores Primatus Romani tum temporis, *Zosimus, Bonifacius, Cælestinus*, qui in Concilio Carthaginensi V. per fas & nefas eum quæsiverunt, Canones Concilii Nycæni in hunc finem falsare etiam non veriti. Extorsit etiam tandem hac ipsa ætate Bonifacius II. ab Eulalio Carthaginensi Metropolitano, ut Monarchiam Romanæ Ecclesiæ agnosceret, & decretum Carthaginensis Sextæ Synodi damnaret. Ob hæc & alia fere multa scribit eo seculo Hieronymus ad Marcellam Romæ habitantem, *Fugite è medio Babel &c.*

Protollit magis cervicem Romana Ecclesia Seculo 7. Contenderant jam de Primatu diu inter se Patriarchæ *Romanus* & *Constantinopolitanus*. Oppositerat se novissime acriter Johanni Con-

stantinopolitano *Gregorius I.* Episcopus Romanus, qui & paulò ante ejus ortum Titulum Universalis Episcopi proclamarat AntiChristianum. Interea vero ardentissime eum quæsivit Gregorius ipse: Hinc enim, in gratiam Parricidæ Cæsaris Phocæ, imaginem ejus & Leontiæ uxoris excipit Romæ honorifice, proclamatque Augustos: Hinc scribit *Lib. 4. Ep. 32. Petro, cura totius Ecclesiæ committitur:* Hinc & jubet Ecclesias Britannicas per Augustinum quendam suum Legatum, se Pontifici Romano subjicere. At non obtinuit hoc. Succedit ei Sabinianus. At, qui hunc secutus fuit, Bonifacius III., à Phocâ Imperatore multis prensationibus titulum Oecumenici impetrat: Et ne res hæc clanculum tractata esse videri posset, in Synodo 72. Episcoporum jussu Imperatoris congregatorum decretum fuit publice & solenniter promulgatum, Romanum Episcopum dicendum esse Oecumenicum, anno Christi 606. Accessit & tunc Pax Ecclesiæ ubivis concessa: tunc enim ultimus persecutorum Cosroes Persa à filio Siroe catenis vinctus in carcerem profundum detruditur. Neque vero tunc Ecclesiastica Authoritas increvit tantùm, sed & eâ uti gnaviter ceperunt, sive in novis ritibus introducendis, sive in Regum splendore obfuscando. Fuere tunc ritus fere omnes Gentiles adoptati & ad Christianum usum appliciti: Unde appositè de hac ætate *Nicol. Machiavellus initio historiæ suæ. Circa annum Christi 600. consuetudines seu dogmata veteris Ecclesiæ cum miraculis novæ pugnare cæpere, nam spectrorum apparitiones & aliæ impostura Satanæ veterem illam formam religionis prorsus everterunt.* Sed & splendor Imperantium tunc obscurari cæpit; quanquam magis sponte sua & pietate potius inducti adhuc reveriti tunc fuerint Principes Romanam sedem. Osculatur eo tempore Justinianus Imperator Nicomediæ, populo spectante, pedes Constantini Papæ *anno* 710. Magd. Cent. IIX. cap. 7. Secutus hunc Gregorius II. excommunicat Leonem Imperatorem & Anastasium Patriarcham, terrasque omnes in Occidente ab obedientia Imperatoris discedere jubet, atque tunc etiam modo fœdus cum Francis init: quemadmodum & post *Zachariæ* Reges deponit atque actu subditos à fidelitatis juramento absolvit, postquam *Gregorius III.* potestatem clavium in hunc modum

solen-

solenniter expositerat & interpretatus fuerat.

At prodiit tandem plene bestia ex terrâ, unà cum bestia novâ aliâ ex mari, in fine Seculi VIII. & principio IX. Ascendit in Romanam sedem post Zachariam *Stephanus II.*, cui Pipinus Rex Galliæ & Filius Carolus in terram procumbentes pedes osculantur, stapedes tenent: qui & unà cum reliquiis sacris se humeris ad Lateranensem Basilicam portari primus jubet *Cent. Magd. IIX. c.* 10. Hac ætate pietas aut libido Francorum Regum terras multas Pontifici donat, ob quod & Pipinus cum filiis inter Patritios urbis Romæ receptus est. Non minus tunc Pontifex Imperatorem creat Carolum, quod gnaviter post alii Pontifices imitati fuerunt: Ita enim Stephanus IV. Ludovicum Remis inaugurat, coronis ad eam ceremoniam Româ adductis, in eum finem, ut paulatim in mentibus hominum confirmaretur, quasi summa potestas Imperii penes Pontificem esset. Atque sic Imperium devolvitur ad Francos, novumque emergit Regnum, cujus hæc fuit occasio; Animadverterat Pontifex à Senatu Romano agitari consilia de excutiendo jugo Imperatorum Græcorum, at metuens ne ea ratione *vel* à Senatu in ordinem redigeretur, *vel* Romani à Græcis superarentur, id consilii cæpit, consultissimum fore ut Roma Pontificis potestati sit subjecta, ac is fortissimo Francorum brachio muniatur: hoc enim modo Francos quasi à Pontifice Imperii titulum accepturos, sed Imperii summam penes Pontificem mansuram. Legatos ergo, inscio Senatu, cum muneribus ad Carolum mittit, eique Sacras claves (insigne Pontificiæ potestatis) & aquilam (signum Imperii Romani) offert, seque & urbem Romam ejus fidei commendat, postulatque Romanos eo adigi ut sibi obtemperarent. Quod & sic factum.

Hoc modo ad culmen & fastigium evecti, quæ olim pietate nunc authoritate peragere cæperunt, variaque tentarunt. *Primum* Electio & Confirmatio sui ab Imperatore eos male habet; cui nil in eam juris esse voluerunt. Stephanus IV. enim, cum intelligeret decreto Adriani & Leonis electionem Pontificis Imperatori esse tributam, ac simul animadverteret hac ratione se sub potestate Imperatorum constitui, primus machinari cæpit hujus

servitutis abolitionem: atque oblata occasio fuit: ipse enim inconsulto Imperatore fuerat à clero ac populo electus & ordinatus: experiri igitur volens an id Imperator ægre ferret, ad illum in Galliam excurrit, factum excusaturus petiturusque confirmationem: Cum vero videret Imperatorem *Ludovicum* non esse admodum juris sui tenacem, reversus Romam suos docet paulatim infringendam esse illam Imperatoris potestatem: ac licere Pontificem sine ejus authoritate eligere, sed electum non posse sine ejus assensu consecrari. Hinc factum ut impostetum nemo fere præter *Gregorium IV.* cum consensu Imperatoris electus fuerit. Imo *Adrianus III.* ad senatum & populum retulit *anno* 895., neque in creando Pontifice ulterius exspectandam esse Imperatoris authoritatem. *Alterum*, quod summo studio acquirere sibi tunc tentarunt, fuit jus & potestas coronandorum Regum ac Principum, quos jam & olim ex pietate in inauguratione benedixerant & consecrarant; In hunc finem sancit *Johannes XIII.* legem, secundum quam Imperator Augustus semper Romæ coronandus. Post coronavit *Benedictus VIII. Ottonem III.* Sed & *Gregorius V.* natione Germanus miro artificio jus hoc ad sedem Pontificiam alligare novit; Fertur enim sanxisse, ut penes solos Germanos eligendi Regem esset jus ac potestas, qui post diadema à Romano Pontifice acceptum Imperator & Augustus appellaretur: fuisseque Electores constitutos sex, & Regem Bohemiæ, qui in paritate suffragiorum litem dirimeret: hanc constitutionem etiam Imperatorem probasse & authoritate sua ratam haberi voluisse *Cent.* 10. *c.* 10. *Col.* 545. Hoc vero certissimum Imperatores, qui tunc se his opposuere, excommunicatos depositos atque misere vexatos à Pontificibus tamdiu fuisse, donec se subjicerent: unde & tandem eo res processit, ut non nisi supplices & prævio juramento à Pontifice coronam obtinerent. *Tertium*, quod tunc arreptum fuit, est Investitura Clericorum; Potestate enim summa potiti Pontifices regalia quoque Imperatorum & Regum ad se rapere conamine omni laborarunt, atque non destiterunt negotium continuum facessere Imperatoribus, usquedum post multam sanguinis fusionem voti compotes facti sunt, totumque clerum non Imperatori sed sibi

obnoxium

obnoxium fecerunt: Primùm in *Synod. Claremont. anno* 1095. decernitur inter alia, ne à Principe aliquo clericus beneficiorum investituram accipiat: Succedit paulò post *Synodus Romana* sub *Urbano II.*, quæ & anathemate ferit tam Laicos qui investituras Ecclesiarum dant, quam illos qui eas de eorum manibus accipiunt *Cent. XI. c. 9.* Unde & post senserunt graviter ob hanc causam fulmen Pontificale *Fridericus I.* & *Henricus IV.* Imperatores: Quin & maduit Germania tota sanguine ob investituram hanc, quòd cedere eam Imperantes nollent. At tandem *Calixtus II.* tamdiu tonandum ignemque pluendum censuit, donec, quod expeteret, ab Imperatore impetraret: Tradidit enim hoc jus Imperator ex consilio Statuum Imperii Wormatiæ, scriptoque professus se dimittere Deo & Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ omnem investituram per annulum & baculum, & concedere liberam consecrationem in omnibus Ecclesiis *Vid. Calvisi ad ann.* 1122. Non tamen prius Clerus à Principibus plene divelli ac Pontifici uni ac soli subjici potuit, quam introducto violente Cœlibatu. *Quartum*, quod Episcopis Romanis tunc porro allubuit, erat potestas in Concilia convocanda. Hactenus à Constantini M. temporibus Cæsares Synodos convocarant: Noluerunt vero tunc ullum Concilium haberi, nisi in quo Papæ per se aut Legatos suos præsiderent: Unde renuit *Honorius* ab Imperatore ad Mantuanum Concilium vocatus, inquiens, Magistrum à Discipulis doceri non oportere, seque minime venturum, nisi vice Christi in præsidendo fungi sibi permittatur *Cent. XI. c. 9.*

Quæ inde usque ad Reformationis tempus excurrunt sæcula, & quidem ferrea sæcula, ea fastigium AntiChristianismi conjunxerunt, ut per hoc & muniretur & augeretur potestas quæ acquisita erat. Nunc enim Capitis Ecclesiæ & Vicarii Christi tituli & augusta elogia personuere, quum secus in Successione Apostolica & sede Petrinâ momentum fere omne subsideret. Strepunt horridum, Dispensationum, Indulgentiarum, Casuum reservatorum, dira & blasphema nomina. Abhoc tempore non tulit Imperatores Papa, nisi qui devota ejus mancipia essent, & ne quidem mutire ac hiscere contra auderent: qui & jure Imperatorio in

Italiam tunc fere exciderunt, postquam jurare debuit *Carolus IV.* se nunquam absque mandato Pontificis in Italiam venturum: quin & increvit adeo tunc fastus Pontificis, ut *Innocentius IV.* Imperatorem *Fridericum II.* criminis læsæ Majestatis reum perageret, quòd non prompte satis mandata Papæ executus esset *Cent. XIII.*: Neque verecundatur *Bonifacius VIII.* imperiali habitu & insulâ Cæsareâ insignis prodire & exclamare *Ego sum Cæsar & Papa Cent. XIII. cap. 7. Calvis. ex Cuspin. ad annum Chr.* 1299. Ausus fuit hic idem Bonifacius electionem ipsam Alberti coram Legatis rejicere, quod & electio omnis sine se facta sine robore sit. Neque tunc Papæ inconsultis se fœdera & pacificationes fieri permiserunt. Præ cæteris vero fuit strenuus potentiæ AntiChristianæ assertor *Innocentius III.*, Sermone *in verba Tu es Petrus* inquit, *Petro singulariter dictum est Tu es Cephas i. e. caput: Sic enim in humano corpore solum caput habet plenitudinem sensuum, cætera membra recipiunt tantum partem plenitudinis: Sic & in Ecclesiastico corpore cæteri Episcopi vocati tantum sunt in partem sollicitudinis, sed summus Pontifex assumptus est in plenitudinem potestatis.* Et in verba *Luc. 5. Duc in altum, Dixit ad Petrum Duc in altum, quasi diceret, vade Romam & laxa ibi retia in capturam. Ecce liquido patet quantum Deus istam urbem dilexerit, ut eadem esset Sacerdotalis & Regia, Imperialis & Apostolica, obtinens non solum dominium super corpora, verum & Magisterium supra animas: longe nunc major & dignior authoritate divinâ, quam olim potestate terrena: per illam habens claves regni cælorum, per istam orbis terrarum regens habenas.* Porro in Serm. 1. in Consecr. Pont. *Mihi dicitur in Propheta, Constitui te super gentes & regna, ut evellas, destruas, & dissipes. Mihi in Apostolo, tibi dabo claves regni cœlorum. Et videtis nunc quis sit servus super familiam constitutus, inter Deum & hominem medius, citra Deum sed ultra hominem, qui de omnibus judicat & à nemine judicatur.* Denique in Epistol. ad Imperatorem Constantinopolitanum, *Nosse debes quod Deus fecerit duo luminaria, majus & minus: Hæc sunt Pontificalis authoritas, & Regis potestas, sed illa quæ præest diei i. e. spiritualibus major est, quæ vero carnalibus minor, ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta*

Supererat

inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.

Supererat Unum, quod insimul superandum erat, potestas universalis & ex toto orbe collecti Concilii; Tale enim Concilium evexerant supra Papam ipsi recentiores Canones. Ad hoc appellabant perpetuò pressi quivis, ipsique Imperantes. Hujus etiam authoritatem credunt & defendunt adhucdum multi Principes. At huic nodo quæsivit itidem non unum cuneum. Dignitas enim Vicarii Christi & Capitis Ecclesiæ evehit eum facile supra omnem clerum: quam hinc urserunt hi, qui Papæ præ aliis obnoxii sunt, remque sine negotio obtinuerunt. Hi & infallibilitatem Papæ docentis ex cathedra asserunt, quâ positâ omne Concilium supervacaneum. Cumque secundùm hanc directionem omnia fiant in Ecclesiâ, nihil est quod correctionem per Concilium mereatur. At & congregetur Concilium aut umbra Concilii, ipse convocat, ipse dissolvit, ipse præsidet, decidit, approbat & improbat in eo, sic ut singula tamen in ejus privam & privatam authoritatem exeant. Et si vel Episcopis vota in eo relinquerentur libera, Italia una terras omnes alias conjunctim multitudine Titularium & exiguorum Episcoporum & suffragiorum longe exsuperat.

LXVII.

Subjicit Prophetia *Dei Mausim* casum, interitum, & finem. Quantumcumque enim ejus robur sit, cadet tamen, quemadmodum & morbi interni jamdudum ejus corpus variè infestant & corrumpunt. Ad hos refero potissimum Papæ electi nimium Senium, Nepotismum, & Cælibatum, à quibus non uno modo rem & potentiam hanc infringi videmus & accidi. Morbum primum & senium commemorat latè laudatissimus *Sandis cap. IX.*, *Het is een groot gebrek in het Roomsche Staatsbeleydt, dat Pauzen verkooren vvorden devvelcke t' eenemael van ouderdom vervallen en gebroken zijn: VVaar uyt het ontstaat dat zy een tvvederley vervvisseling van Staat onderhevig zijn, te vveten van persoon, en van toeleg, en dater noyt een groot dessein volvoert vvorden kan. Dit in der vvaarheyd is gevveest een van de grootste beletselen, die hen bejegent zijn op den grooten vveg dieze liepen om de geheele vvereld te bemachtigen*

machtigen &c. Idem ille Author, postquam cap. XXIX. descripserat reditus Pontificis, invehitur etiam acriter in Romanum Nepotismum, *Maar al vvas het inkomen en het profijt van de Kerck noch eens zoo groot dan het is, zoo zynder tvvee bloedzuygers die d'er zonder ophouden aan leggen en lurken, en die noyt toe en zullen laaten, dat de Spaarkist al te vet sal vvorden: De eerste is die hoogverheven trap van de Paussélijke vvardigheyd boven alle andre Vorsten en Monarchen des VVerelds, 't geen dezelve brengt tot een onbedenkelijcke verquisting in alle plaetsen, om daar staat te houden. 't Andere, 't geen het Pausdom als geduurig lens en uytgeput van penningen houd, en des zelfs tydelijcken staet tot de allerellendigste regering van geheel Italien maeckt, is de geduurige verandering der Pauzen uyt oorzaack van haaren hoogen ouderdom, en de brandende begeerte die een yder van haar heeft om zijn Vrienden en voor al zijn Kinderen rijck te maecken, en haere genegentheyden uytstrekende tot een groot getal van Neven om door dezelven haer naem te doen geduurig floreeren, de Schatkamer van de Kerck uytputten: Gelijck de voorbeelden hier van kenlijck te zien zijn in de tvve Gregorien, naamentlijk de dertiende van de naem, met het kleyn getal van zijn Kinderen: en de veertiende met een geheele Karavaan van zijn Neven en Vrienden. En deeze Neven geven haer plomp over tot alle overdadigheden, en houden geen maet met vervvoesten en berooven in haare ampten en bestieringen, vvaarvan ze den korten duur te gemoet zien, vermits de onzekerheyd van het leven van den Paus; Op vvelcks ontslipping ook alle haere vvaerdigheden slippen en henegaen &c.* Efficit vero cœlibatus, quod terras & provincias ad breve tempus commissas divexant & minus sollicite curant & conservant, quin & hosti facile extradant, quippe post fata ad hæredes suos non devolvendas: quod nunc bis in bello Gallicano in vicinia nostrâ apparuit ac evidens fuit. Quæ sane robur ac incrementum ejus impediunt ac infringunt varie.

LXVIII.

Verùm & casus ac interitus totalis subsequitur: Qui tamen casus non unus, quemadmodum & Divi Johannis Apocalypsis plus semel illud *cecidit Babel* ingeminat: Quum 1. nudatâ ac de-

ac demonstratâ abominatione omni, pudenda filiæ Babel conspiciuntur, ut existimari desinat in mundo, merces ejus nemo porro emat, voxque sponsi & sponsæ ultra se conjungentis non audiatur, illud Casus Babel est jureque sic appellatur. Cadit 2. quum populus Dei in reformatione ex eo exit, ut non nisi stabulum avis impuræ & domicilium Dæmoniorum maneat *Apoc.* 18: 2. Cadit 3. nunc, quum spiritus oris seu vis verbi Dei ita vincit & convincit, ut pudeat eam abominationis multæ, svaviusqus Tyrus canere cogatur *Esai.* 23:16. Cadet 4. quum Pseudopropheta judicatus in *stagno sulphuris vivus jacebit Apoc.* 19: 20. Exspectatur verò & 5. ultimus ejus casus, qui est totalis interitus, ita ut locus ejus non amplius inveniatur *Apoc.* 18: 21. De quo ultimo casu potissimum disquirimus.

LXIX.

Neque otiosum vel temerarium est in eum & tempus ejus inquirere. Sunt enim 1. signa temporum posita, ex quibus tanquam Signis illud tempus colligi & cognosci facile potest. Numerati etiam sunt 2. anni à spiritu in prophetia, quibus stare ac perdurare potentia Babelis debebat.

LXX.

Sunt qui interitum & casum hunc ad finem mundi rejiciunt, quæ Veterum fere omnium sententia fuit; *sive* quod in Gogi judicatione ignis (sc. ultimus) cœlo depluet *Ezech.* 38: 22., *sive* quod *Dan.* 7:8. cornu parvum dicitur facere, donec antiquus dierum consident, *sive* quod *Dan.* 11: 45. & 12. hæc conjunguntur, *Et veniet usque ad finem*, (sc. AntiChristus) *Et in tempore illo surget Michael, & excitabuntur multi ex pulvere terræ, sive* quod *Apoc.* 6:14. de judicio AntiChristi legitur, *Et recessit cœlum instar panni, & clamarunt, abscondite nos ab eo qui in throno sedet & ab irâ agni, sive* quod *Apoc.* 16: 15. AntiChristi judicatione descripta memoratur, Ecce venio ut *fur, sive* & quod *Apoc.* 20. cum judicatione bestiæ copulatur, *Et vidi Thronum magnum candidum, præcipue* verò quod 2 *Thess.* 2:8. scribitur, *Et abolebit in affulgentia adventus sui.* Quàm vana vero hæc fuerit opinio, id constat abunde vel hinc, quod post judicatum AntiChristum adhuc labuntur *mille*

anni Apoc. 20: 4., quod & post eundem judicatum promittunt & collocant unanimiter Prophetiæ regnum ultimum glorioſum. Eſt vero adventus ille Chriſti 2*Th.* 2: 8., quo abolendus Anti-Chriſtus, adventus ejus non ad judicium ultimum ſed ad illud glorioſum regnum, quod non fert thronum hujus regis *Jareb* ſeu Adverſarii & AntiChriſtianum.

LXXI.

Atque hi peccant in temporis exceſſu. Præter hos verò ſunt alii, qui cogitationum anguſtias paſſi nimiumque feſtini ſuo tempore videre geſtiunt, quod Nepotibus demum à ſpiritu eſt conceſſum, qui tamen ex fundamentis variis ſuum calculum deducunt: Arguunt enim quidam ex tempore quod Gentes ſub vocatione divina debeant exigere tumque judicari, quod ſecundum *Apoc.* 14: 20. definiunt per mille ſexcentos annos, eo quod l. d. ſanguis per *mille ſexcenta ſtadia* profluere dicitur; Intelligunt vero per ſanguinem, ſanguinem Chriſti in verbo Evangelii propoſitum ac mundum permeantem: per ſtadia autem, menſuras non locorum ſed temporis. Arguunt alii ex *Apoc.* 20: 2., ubi mille annos Satanas dicitur ligari, quibus non aperte Gentiliſmum propagat ſed tecte ſub nomine Chriſtiano graſſatur, poſt illos mille annos vero ſolvitur: Inchoant vero hos mille ligationis annos, hi à Converſione mundi circa tempora Conſtantini M., illi autem ab anno Chriſti 629. quum perſecutor Coſroes Perſa à Siroe filio catenis vinctus in profundum carcerem detruditur. Arguunt non minus alii ex quinque menſibus, quibus Jeſuitæ tanquam Locuſtæ divexare debeant ſecundum *Apoc.* 9: 3., qui anno 1537. orti per annos 150. torquere homines debeant. Fuere etiam qui à nuperâ occiſione teſtium in Gallia ſuum computum ineunt, quoad illi teſtes per tres dies & dimidium tantum in plateâ urbis magnæ jacebunt & poſt eos reſurgent ſecundum *Apoc.* 11: 11. Decepit & Numerus beſtiæ 666. *Apoc.* 13. expreſſus quosdam, ut tot annos AntiChriſto tribuerent: quo modo periiſſet AntiChriſtus anno 1466. modò: quod abſonum.

LXXII.

Optimè vero deducitur calculus ex duratione & ætate beſtiæ, quæ

quæ illi *Apoc.* 13. disertis verbis assignata est, puta ex diebus 1260. seu, quod idem est, mensibus ibidem numeratis 42., aut, quod similiter eodem recurrit, tempore, temporibus, & dimidio temporis.

LXXIII.

At unde inchoas hosce annos? an à Constantini M. tempore, quo vere animales multi simul intrarunt ac atrium fumo oppleverunt? quo & Episcopis judicium datum? Minime! Tum enim non vicit Draco, quemadmodum *Apoc.* 13. dicitur, sed victus & judicatus potius fuit. Tum non Christus à bestiâ victus dici potuit, qui tunc triumphavit de mundo ac ipse vicit. Neque eo tempore dedit Draco regnum & sedem, sed extorserunt hæc ab eo Angeli & Duces Michael invito Dracone victores. At & eventus ipse contrariatur, quum sic AntiChristus dudum periisse debuisset.

LXXIV.

An igitur à tempore Bonifacii, qui titulum Episcopi Oecumenici & Universalis à Phoca obtinuit, exordium annorum horum repetendum? Nec hoc quidem. Potentius enim tunc equidem lacertos movere cæpit Mysterium iniquitatis, quemadmodum & Pauli tempore operabatur, at nondum pervicit. Non enim tunc Imperantes potentiam suam modo bestiæ concesserunt. Non bestia ac Dominatio nova mundana ex mari tum surgit, quemadmodum id simul caput XIII. Apocalypseos exigit. Neque blasphemia & oppugnatio Sanctorum tunc adhuc plene invaluit.

LXXV.

Quid igitur? A tempore Caroli Magni & Imperii novi Franco Germanici inire hoc computum decet; quippe tunc surrexit nova Bestia & Dominatio politica ex mari: tunc invaluit blasphemia ac hæresis in Ecclesia Dei: tunc obex & κατέχων Romani Imperii fuit simul è medio sublatus, qui hactenus adhuc cohibuit & moratus est secundum 2 *Thess.* 2: 3.: tunc & concessa fuit Bestiæ dominatio & potentia imperandi, donante largiter Pipino, Carolo M., & Ludovico Pio: quin & tunc omnia illa reperire & videre licuit, quæ secundum *Apoc. XIII.* in Regno Bestiæ esse & conspici debebant.

LXXVI.

Modum denique quod attinet, quo Bestia interire ac exscindi debet, Prophetæ in hisce definiunt. 1. Spiritus oris seu efficacia verbi Dei convincet & absumet 2 *Thess.* 2: 8., seu alba nubes *Jes.* 19: 1., seu phiala Angelorum Dei effusa *Apoc.* 16. 2. Mare, seu Pinguis in mari ac gentilismo aut Rex Mahometanus ab Oriente Euphratem ac fluvium Babel exsiccabit *Ps.* 68: 23., *Apoc.* 16: 12., *Apoc.* 18: 21. Peribit & 3. per discordias intestinas ac mutuas, dum Ægyptius in Ægyptium frater in fratrem excitabitur *Jes.* 19: 2., *Dan.* 2: 43. Infestabunt 4. ipsa cornua bestiæ, Regesque hi qui præ aliis potentiam illi concesserunt *Apoc.* 17: 16., cujus rei exordium an in ea Romanæ Ecclesiæ parte, quæ Primatum Papæ ita coercet, conspiciatur, in medio relinquo. His 5. est conjungenda invasio ab Aquilone & Oriente *Dan.* 11: 44. Neque prætereundus 6. fulgor Christi advenientis in regnum ultimum, qui non fert thronum adversantem 2 *Thes.* 2: 8. Sunt & 7. qui proprie dictum ignem concipiunt vel ipsa loca Babelis absorpturum, quo sane hodie Italia creberrime concutitur & infestatur.

LXXVII.

Nondum vero jam ad tempora ea beata accessimus, quin resumit hodie indies svavius canens Tyrus vires, scortanturque denuo cum oblivioni data qui ante eam deseruerant secundum *Esai.* 23: 17.: Unde mihi non inopinato nuper accidit nuntium de Apostasiâ Borussiaca. Atque sunt etiam vere in se dogmata sequiora illorum Protestantium, *Ova, ex quibus basiliscus excludi potest* secundum *Es.* 59: 5., siquidem non mature obex interponitur; Quò enim e. g. præsentia credita corporis Christi in cœnâ ducat & ducere possit, illud jam *Lutherus* ipse indicavit in verbis, **So stell ich nu einem jedweden frey/ ob er Christum im Abendmahl gegenwertig wolle anbeten oder nit.** Item, **die Elevation behalte ich den Teuffel Carlstad zuwieder/ die ich sonst wieder die Papisten fallen zu lassen willens war.**

LXXVIII.

Animus erat, hisce DEUM VENTREM, de quo *Phil.* 3: 19., adjungere, & demonstrare quod per eum gloriatio Judæorum in carne

carne & carnali prosapia deductâ ex Abraham & Sarâ eo loco intelligi debeat: at pariter chartæ & temporis angustia id non sinit.

COROLLARIA PRÆSIDIS.

I.

AD quæstionem, Num omnia propter hominem in terra creata sint? *Affirmative respondendum est: quicquid etiam obstrepant qui totum universum ab homine non pervideri, quin & alias partes universi similibus incolis non destitui, censent & arbitrantur.*

Scriptura enim, ex quâ unice dignè voluntas & scopus operantis Dei constat, vel primo limine consistentem erudit, quod Deus hominem suorum operum colophonem constituit in quo quievit, quod & homine iterum peccaminoso & inutili facto tota creatura gemit, concidit, ac interit.

Non evadunt, qui inquiunt hæc esse de particulari mundo ac terrâ non vero de toto universo intelligenda, terram esse pro homine largientes, cæteras autem universi partes pro aliis & Angelis: Docet enim Historia creationis & cœlum Lunam ac Solem in hominis usus olim prodiisse, sed & cœlos terram cunctaque elementa ob peccatum hominis in ejus damnatione destrui ac interire Gen. 1: 15. 16. 17. 18. 2 Pet. 3: 7. 10. Et quem quæso extensæ mundi aliæ partes præbeant usum Angelo præter hominem, an indigeat forte iis tanquam loco & domicilio? an vero utatur corporeis rebus tanquam alimento suo & cibo?

At non pertingit Terricolarum visus & acies ad loca alia indefiniti extensi, quid ea hinc condita propter hominem esse dicantur, quæ neque usui neque visui ejus exhibentur. Bona verba quæso: Eo ipso quo aliquod extensum & spatium propter hominem conditum fuit, necessario id porro late & in indefinitum porrigi debuit; hoc sponte ex priori consequitur. Tum licet non jam illa spatia infinita à Terricolis occupentur, fiet id certò tandem, quum ad beatas sedes attollentur.

Attamen non nisi cum distinctione hæc ponuntur. Distinguendus est usus Practicus ab eo qui Theoreticus & speculativus dici solet: quoad usum practicum, non est nisi propter hominem extensum hoc, neque enim Angelus indiget domicilio quod extensum est, neque utitur cibis & suavitatibus corporeis: Speculatur vero Angelus & percipit cum exultatione & jubilo, quod cœli Dei laudem & gloriam enarrant. Si vero certa aëris motus & extensionis pars Angelo ita conjuncta est, quemadmodum anima jungitur nostrum corpus ut id dirigere & per illud operari possit, ille usus practicus iterum in hominis bonum cedit, cui tunc ministrare Angelus comperitur.

Unde & est quod sano & certo sensu etiam Angelus propter hominem existit: Est enim Spiritus ministrans, missus in ministerium eorum qui salutis hæredes existunt Heb. 1: 14.

Non hinc arrogantiâ & proprio amore capti nos solos Dei delicias censemus, quando omnia propter hominem facta esse asserimus: Potius hæc insignis Philantropiæ & amoris Dei erga humanum genus prædicatio est, quæ nos ad gratitudinem eo majorem devincit si homini in capite æque ac membris creatura omnis subjicitur Ps. 8. Atque hic finis creationis subordinatus est.

Idem ille in restauratione mundi post ejus conflagrationem in ultimo judicio permanet: habitabitur enim & mundus per vices libere à justis postquam semel deflagravit 2 Pet. 3: 12. 13.: Qua ratione plene liberata erit creatura à servitute vanitatis sub qua nunc gemit, atque vendicabitur tunc usibus iis quos olim intercepit peccatum & lapsus Rom. 8: 21. 22.

Neque hoc delibabit quicquam de beatitudine consummatorum, quum ea in communione Dei existat, quam ille ubivis indulgere potest: quemadmodum & Angelus de sua felicitate nil amittit, quamquam etiam in terra operetur & agat.

II.

Solent hi, qui secus excellere famamque comparare sibi non queunt, profiteri quid quod contra receptam & communem opinionem pugnat, quodque adeo monstrosum est ut id imperitum vulgus stupeat, & si non acumen saltem obfirmatam frontem admiretur: Quale quid novissime in maicria de operatione Diaboli in Sagis contigit, quam

quam velut & omnem aliam hujus Architecti in terra machinationem illi tollunt, Nos vero defendimus hoc secundo corollario.

Vix dici potest quantam Negativa securitatem inducat, quàmque Prophanis & Atheis nostri seculi ea placeat, quibus proclive est negare cuncta ea quæ oculis non vident & manu sua non palpant; quod tamen rude & stupidum est: In iis enim, quæ à priori per causam necessariam & demonstrationem non innotescunt, non experientia propria tantum, sed & Historia fide digna convincit.

Quin & specie aliquali se commendaret Negativa, si missis puris putis clamoribus fundamenta ac demonstrationes afferrentur, & quæstionis status rite formaretur: Quid enim hoc, declarare quod inter characteres illos tum ceremonias ac res adhibitas & inter effectum elicitum nexus detur nullus: quod nemo credidit unquam neque in secula seculorum credet, eo quod Magia, non vi illarum rerum in se nullarum, sed operatione intercedentis Diaboli potens est & effectus suos exserit.

Habere Diabolum veras in terrâ operationes, id equidem per demonstrationem aliquam necessariam probari nequit, quia res meri & non necessarii facti est: attamen à posteriori & ex effectis id Experientia cognoscit, quemadmodum & ex Historia non mentiente & testimonio colligitur.

Non contingit omni propriam horum effectuum malorum experientiam habere; neque enim exserit se Diabolus in terris illis quæ ad Atheismum & Naturam Deum propendent & ubi metus Diaboli & Dei passim exui conspicitur: hac ratione enim regno suo ipse potenter eo loco obfuturus foret, quod cum ejus insigni calliditate non convenit.

Superest hinc, ut hi unice per testimonium irrefragabile & historiam non mentientem convincantur, in qua effecta & operationes aperte describuntur, quas aut habuit in obsessis, qui ea quæ captum eorum superant & linguas exoticas atque occultissima & longinqua quæque effantur: aut in oraculis, quæ non meras Sacerdotum fraudes exstitisse subitaneus ubivis eorum defectus & deploratus defectus ostendit: aut in spectris, quæ non solida corpora sunt sed apparentiæ nudæ, quas Spiritus intelligens ex tam attemperato

motu

motu globulorum cœleſtium educit, qualis ex objectis repercuſſus nervos opticos feriret: aut in Divinis, qui ea quæ plane occulta ac ignota ſunt monſtrare ac indicare ſolent: aut in Mirabiliariis, qui Pſeudoprophetæ exiſtentes ea inter quæ nullus nexus efficiunt: aut denique in Sagis, quæ non ipſæ ſed per Diabolum & plerumque in meris præſtigiis ea peragunt, quæ ſecus fieri & præſtari ab homine non poſſunt.

De his loquitur Hiſtoria profana & conſtans fama, cui uno impetu fidem derogare eſt brutum nimis, & fidei hiſtoriis bonis debitæ totalis everſio. At nos divinam & infallibilem Scripturæ hiſtoriam laudamus, quæ & Obſeſſos Act. 19: 15. 16., & Oracula 2 Reg. 1: 2. 3., & Spectra Luc: 24: 37. 38. 39., & Divinos Act. 16: 16. 17., & Mirabiliarios Matth. 24: 24., & Magos ac Sagas Exod. 8: 9. 10. introducit.

Neque introducit hos ſolùm, ſed & habet de operatione Diaboli verba quæ nullam exceptionem patiuntur. Appellat enim Satanam Principem poteſtatis Eph. 2: 2. Attribuit operationi Satanæ potentias & ſigna quæ in regno beſtiæ fiunt 2 Theſſ. 2: 9. Ea quum Matth. 4. Chriſtum tentatum introducit, non Chriſti cogitatio ſed Diabolus tentationes ibidem expreſſas Salvatori neceſſario ſuggeſſit, prius enim aſſerere blaſphemia eſt. Illa, præter carnem, Diabolum ut diſtinctum hoſtem objicit cum quo pugnare nobis neceſſum eſt, non vero confundit cum carne eum. Atque leges etiam pœnales de ſagis dictat Exod. 22: 18., Deut. 18: 10.

Unde hi qui non exercitii gratiâ ſed ſeriò contra Diabolum & ejus operationes in terra pugnant, ſimul Scripturam tollere coguntur, aut ſaltem detorquere pueriliter: quamdiu enim hæc ſtat, etiam Diaboli operatio conſiſtit neceſſario.

Eſt vero hæc totius Magiæ & operationis Diabolicæ ratio, hoc fundamentum; quod Diabolo non ita exſerere artem & potentiam ſuam eſt permiſſum: unde cum homine contrahit, ut per eum exſerendi libertatem & facultatem obtineat.

Interea autem hæc tria ſimul adnotanda ſunt. 1. Non negari multa per fraudem & impoſturam fieri, conficta etiam ac falſa eſſe: at tamen non procedere illationem à particulari, Ergo cuncta falſa

ſunt

sunt quæ de hac re narrantur. 2. *Concedi item, nullum nexum esse inter res adhibitas & effectus, qui nec esse debet, ut Diaboli operatio esse possit. Nihilominus* 3. *dandum esse, principia artium harum malarum fundamentum solidum in natura habuisse, quemadmodum ex Galli cantu, formicarum labore, avium accessu & decessu, quædam quæ naturalis connexionis sunt, certo colleguntur: at post per abusum ad alia etiam & minutissima quæque hæc extendit disciplina auguralis.*

Potest vero omnis artificiosa divinatio, sive petita ex astris, sive avibus, sive lineis faciei & manus, hoc uno obrui argumento, quod prædictio eventus futuri Deo unice vendicetur, & creaturæ ac Diis gentium mordicus negata & abdicata sit.

Quæ vero Circumcelliones Cingari ex præteritâ vita nostrâ indicant occulta, ea spiritus ille, cum quo pactum ipsis intercedit qui & circa nos vagatur, ipsis revelasse facile potuit, si non ipsi ea vestigando explorarunt: imponunt vero credulitati nostræ, quum per hoc similiter ad æque credendum futura, quæ nobis præsagiunt, impellere conantur.

Obscurum vero est modum quo Diabolus in corpus agit determinare; similiter ut nexum inter meam mentem & corpus ab ea determinatum non perspicio, licet de re ipsa dubitare non queam: Supponendum vere hoc, Angelos præter intellectionem & volitionem etiam agere ac operari ad extra posse, secus Angelus enim imperfectior homine foret qui facultate agendi in membris corporis sui non destituitur. Pergendum vero hic, & asserendum, æque potuisse angelo molem certam corporis aut motus concessam & subjectam esse per quam operatur, ac homini in viribus corporis sui certa sphæra activitatis indulta & determinata est. Sed tangere vel tangi nisi corpus nulla potest res? quo pacto tangat, impellat, determinet Angelus, qui Spiritus, eam molem corporis? Respondeo, eodem modo, quo meæ mentis imperium determinat molem corporis mei, quod non nexu aliquo naturali contingit: Non enim tangit fortiter anima corpus, sed imperat solum: neque potest intelligere & percipere jussa mentis, corpus, ut sponte currat, sed hoc omne fit in Deo in quo vivimus movemur ac sumus Act. 17: 28. *Ille enim*

qui constituit in creatione hunc nexum, etiam conservat eundem necessario.

Neque censendum Deum recedere ab Angelo malo? Quod enim essentialis quædam facultas est, id manet necessario perpetim, æque ac in homine malo inter mentem ejus & corpus ille nexus naturalis non desinit. Quanquam vero sic Deus determinet, nihilominus actio & effectus Angelo adscribitur, tum quod illa vis determinans ipsi naturaliter appropriata est, tum quod cupit & intendit ipse determinationem ad eum eventum, tum quod moles corporis & motus, qua exsequitur, ipsi subjecta est.

Non tamen eadem ratione extraordinaria determinatio Dei (quæ Angelo bono sæpe adest) ipsi Angelo tribuenda est: an vero infractio naturalis agendi virtutis, quæ in re, huc referri debeat, non determino: fuit vis naturalis ignis impedita ut non noceret in fornace Babylonis, ferunt & consimili ratione sæpe impetum globi sclopetarii impediri & infringi.

Atque hæc famosa Diabolorum aut Dæmonum operatio est: Nomen enim Diaboli non ita innotuit gentibus, quanquam Angeli vox legatur apud Hierocl. ad vers 2. Pythagoræ, Jamblich. de Myst. §. 19., & in responso Apoll. Colophonii apud Lactant. lib. 1. Inst. cap. 7. Involvit vero in sensu bono Dæmon beatitudinem, derivatur enim a דַּי *sufficientia, beatitudo: Et nil vetat rudera nominis observare in Syriaco* דַּיְוָא, *Dajava, quo in hunc usque diem Dæmon venit & significatur.*

Ἐπίμετρα DEF.

1. *Datur Theologia naturalis.*
2. *Esse Deum demonstrari post tum ex libro naturæ tum ex libro Scripturæ.*
3. *Scriptura ita est unica Regula & norma fidei & morum ut præter eam non sint novæ revelationes exspectandæ.*
4. *Vox* יהוה *essentiam Divinam* אלהים *in ea personarum si non semper Trinitatem attamen pluralitatem.*

5. *Adamus*

5. *Adamus in ſtatu innocentiæ Deum Trinum cognovit.*
6. *Cauſa electionis extra Deum nulla prorſus quærenda eſt. Non hominis voluntas, nec enim eſt volentis neque currentis Rom. 9. ℣. 16. Non præviſa fides, fides eſt enim electionis effectum Act. 13. ℣. 48. Rom. 8. ℣. 30. Non operum merita ſive Sanctitas, non enim quia fuimus ſed ut eſſemus Sancti elegit nos Eph. 1. ℣. 4. Non generis dignitas, omnes enim Adami poſteri pares ſunt & natura indigni. Nec etiam Chriſti meritum quia hoc illius effectum eſt Eph. 1. ℣. 5. 1 Pet. 1. ℣. 19. 20. Merum igitur Dei beneplacitum ſive* εὐδοκία τῦ θελήματος αὐτῦ *Eph. 1. ℣. 5. Rom. 8. ℣. 29. Rom. 9. ℣. 18.*
7. *Sanctionem pœnalem ſeu juſtitiam vindicativam fundari in eminentiſſima, Sanctiſſima, Juſtiſſimaque natura Dei & non in mero duntaxat liberrimæ voluntatis Divinæ beneplacito affir.*
8. *Mors fidelium temporalis non eſt propriè dicta pœna peccati.*
9. *Verba quæ occurrunt Gen. 3. ℣. 22.* Ecce Adam factus eſt uti unus ex nobis *non ſarcaſticè ſumenda eſſe confirmant & ejus antecedentia & conſequentia.*
10. *Prophetia Cajaphæ quæ ocurrit Joh. 11. ℣. 49. 50. 51. fuit veriſſima, & inſignis in ea conſpicitur nexus.*
11. *Formam Cherubinorum ad bovis formam proxime acceſſiſſe colligitur ex Ezech. 1. ℣. 10. collato cum cap. 10. ℣. 14. Nam in poſteriore loco* פני כרוב *facies Cherubini vocantur quæ in priore* פני שור *facies bovis.*
12. *Pſalm. 78. ℣. 25. dicitur quidem* לחם אבירים *quod 70. tranſtulerunt* ἄρτον ἀγγέλων panem angelorum *ſed tamen nil nos cogit per* אבירים *id eſt robuſtos angelos intelligere.*
13. *Pontifex Romanus eſt Deus Mauſim.*
14. *Pontifex Romanus eſt AntiChriſtus.*
15. *Pontifex Romanus non habet abſolutam imo nullam poteſtatem in ſpiritualibus.*

F I N I S.

Abstrusum eruere, & priscorum Oracula Vatum
Pernosse, & quicquid pagina Sancta tegit,
Hoc Studium hic labor est tuus improbus Optime COCHI
Macte esto! Magnum sic imitare Patrem:
Fac æquo Illius quondam vestigia passu
Dante Deo, simili notus honore, premas.
At *Desiderium* qui Matribus exstitit olim,
Is *Desiderii* meta sit una *Tui*.

Pereximio & Doctissimo Domino RESPONDENTI, Auditori suo Cultissimo gratissimo, hinc ad Belgii & Britanniæ Magnæ Academias contendenti, gratulabundus accin:

PRÆSES.

COCHIADEM celebri prognatum sanguine CochI
Pulpita, suggestus, nunc Typus hicce probat.
Perge sequi magnis præclaros gressibus ausus,
Atque timere Deum: COCHIUS alter eris.

Pereximio & Doctissimo Domino RESPONDENTI, pulcherrimæ expectationis & Paternæ virtutis heredi, novum eruditionis specimen edenti, gratante manu adscripsit

WILH. CRUSIUS, JCt. & Antecess.

Florentissimi Ingenii, Industriæ & Solertiæ publica privataque laude Nobilissimo Juveni

JOHANNI COCHIO,

Cum & velitatione Academica Publico se cum applausu sisteret.

NOn minor est virtus, quam Noscere, Recta Tueri;
Illud enim Ingenii est, hoc simul Artis opus.
Ast tam versatum Te, COCHI, ostendis utroque,
Ut Tibi sint laudes Artis & Ingenii.

Nam

Nam Tibi Fama canit [illegible]
Cum pius auditor pendet ab ore Tuo.
Nunc quoque victuram nectit Victoria laurum,
Quod Victor fuso clarus ab hoste redis.
Sic magnum sequeris Genitorem Publica Sacra;
Qui Patre pro Patriæ pro Patriaque facit.
Sic claros super ibis Avos, quin lampada Nato
Gaudebit quondam tradere rite Pater.

Ita ob hujus Filii, a Paterna laude non degenerantis, indefessam in rebus Divinis perscrutandis contentionem, facundiam, mores publice & privatim probatos sentit, & ex benevolo animo ominatur lubens merenti

HENR. CHR. HENNIN, D. & Artium tam Salubrium, quam humaniorum P. P. Philosophici Ordinis h. t. Decanus.

SONNET.

Wohl dem der da die feind' des fleisses weiß zu quälen/
Der wollust schmeicheley und falsch' ziebeht veracht;
Auff Gott und Tugend nur mit gantzem ernst bedacht/
Und mit denselben sich in liebe thut vermählen/
Dem kan der höchste ruhm im schwartzen Grab nicht fehlen.
Daß Er dem Himmel sich auch also dienstbahr macht/
Der Jugend Eitelkeit und falschen schein verlacht/
Daß kan Sein munterer fleiß in keine weg verhelen.
Was Gottes heilig Wort in sich verborgen hält/
Daß wird von Ihm mit ruhm/ zur rechten prob gestelt.
Ich sehe Kirch und Schuhl umb Ihn sich eiff'rig streiten:
Des Vatters hohes Lob und Ehre zu bereiten.
Es leite dan forthin der Himmel Geist und Sinn/
So geh't Er in der Zeit schon nach den Sternen hin.

Seinem Hochwehrten Freunde und Tischgenossen/ dem Herren Respondenten setzte dieses zu wohlverdienten Ehren/ mit zwar Eilfertiger Hand/ aber auffrichtigem Hertzen

CLEMENS BERG, J. U. D. Moral. & Civil. Prof. Publ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78876974X/phys_0101
DFG

EPIGRAMMA

Nobilissimo Doctissimoque Viro Juveni

JOHANNI COCHIO,

cum de Deo Mausim omnium cum applausu disputaret, Sacrum.

COCHI, post ullos nunquam memorande sodales,
An non cantaret nostra Thalia Tibi?
Imo cantaret. Sed Vena exaruit. Unde?
Obstupet ad laudes hei! tremefacta tuas.

H. von HIMBERG, SS. Min. Cand.

R*Egis* turgentem *Spreti* quæso! adspice *fastum*!
Etsi homo peccati, se facit, *ille*, Deum.
Ipse *Deus Patrum nil curæ est*, papa *Deorum*.
Negligit ipse *Deum*, sydera vult digito
Tangere; sic totùs facile componitur orbis
Regis ad exemplum, turget ubique chorus
Papalis, *robur diffusum* quà patet orbis
Ipse *colit*, MAUZIM sic colit ille *Deum*.
Succumbat *fastus* cordati PRÆSIDIS armis
Supprime responsis, dulcis AMICE, tuis.

Hucce chordâ, in honorem Doctissimi ac perstrenui, diss. de חמרת נשים *propugnatoris, amici desideratissimi dulcissimi* εἰς ἀειφιλίας τεκμήριον, *oberrare voluit*

J. R. HENCKEL, SS. Th. C. C. M. M.

SCIre VeLIS qVare IVngantVr græCa LatIno
CoCChI? pro MerItIs, LaVs ab VtroqVe tIbI.
Nescio quid tentent τῶν ἐχθρῶν καμπύλα τόξα
In nostris castris? Νὰι Κόκχιε ηδὺ γελάσσας
Omnia, nulla times, τὸν πρὸς μεγαλήτορα θυμὸν,
In quo Pallas agit; καὶ ἔχων Θεὸς ἔνδικον ὅμμα
Ad Cathedram duxit Te, ὅλη πᾶν βέλος ἀντὶ σαυτὸν

Missum

Missum confringas. Δ ...
COCHI? Stat pro Te Θεὸς, αὖ.
Queîs nixus fulcris ἱεραρχικὰ θηρία τυπτεις,
Quæ contra insurgis, καὶ ῥήματι πάντα δαμάζει,
Ergo fortis agas! ἐθέλησι κράτος δόμεναι Ζεὺς!
Et ferum Cœlum! Μενοικέα πολλὰ σὺν αὐτῷ!
Perge Decus Patris! Καθαρῶς καὶ πάντοτε χάιρε.

Hoc mixtum in honorem D. D. D. aliori Salibus intermiscebat

M. R. HELLER, SS. Theol. Stu...

Curris Ovans, Clares Hac in Virtute Supremi.

BARBITOS AONIDUM VOTIVA,

Meritum Doctiss. Dn. RESPONDENTIS decus, postquam spoliis armatus opimis, lætum Marte dextro ageret Triumphum, gratulabundè perstringens.

SVspICe, sIC tetrIs MeretrIX BabyLonICa tergIs
InCVbat; aVratos eXhIbet ILLa sCyphos.
HeV! Reges aDeVnt, qVIbVs atra Venena propInat:
EbrIa SanCtorVM sangVIne Labra rubent.
TaLI Papa tVI pIngVntVr IMagine VVLtVS,
*Vt LIber, Ipsa DeI pagIna, sæpe refert. *Apoc. 17.
AC tIbI *RobVr* Inest; ast qVoD *DesIDerat* VXor
NegLIgIs, es tVrpIs Pastor InIqVa petens.
AbrIpIor! Largè DanIeL testatVr, * & Ingens *Cap. 11.
HVLsIVS, In DIVa DeXterItate VIgens.
Et tV ConseqVerIs CoChI saCra CVLMIna VerbI:
ProgresVsqVe tVos noster ApoLLo stVpet.
ConCVtIs aC qVassas CarIosa seDILIa Papæ;
LIVIDa VVLnerIbVs qVassa TIara jaCet.
*HaC VI porrò *seCa*; sIC BestIa stVLta rVInaM *Johannes Cochius ἀναγρ.
SentIet, & VIVaX HI*n*C tIbI CresCet *honos* *Vi Secta, hinc honor.*
GratVLor! AVLa, Pater, pIa peCtora, ChristVs ab astrIs
Vota DabVnt: Crebrâ LaVDe CorVsCVS erIs.

Idem

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78876974X/phys_0103
DFG

idem.

A M M A

Ad nomen alludens.

Calliope & Minerva.

SEdes, quæ toties *Oracula* fudit *Olympi*,
Sedes, quæ toties *Themidi Phœboque* patebat,
Sedes, quæ toties sonitum dedit *ore diserto*
Obstupeo! dic nonne tuum sublime Lacunar
O Dea diva feres fœdari *pinguibus offis*,
Atque *perunctа* Tibi patieris *ahena* locari?
En, *Coquus* acclivi figit vestigia passu,
Et medias inter Musas interritus extat:
Sed quid aget, ponetne *focos*, facietne *culinam*,
Ut Tua *tabifico* vah imbuat Atria *fumo*?
Calliope quid ais, quid ais formosa Dearum?
Hic nihil *ollarum* video, *pingueſve patellas*,
Non ibi *stillat adeps*, ubi pectora Docta moventur?
Sed memini, rectèque mones: Coquus ecce Cathedram
Calcat, & hospitibus regalia *fercula* promit,
Fercula, Cœlesti semper gustanda palato,
Fercula, quæ fractam poterunt reparare salutem.
Hei! placet ille *Coquus*, *dapibus* prægnatus *opimis*;
Sæpius ô utinam tales Sors advehat! optem:
Nam quæ verba tulit præsens *Coquus*, ore tonante,
Hæc ex *Cortina prolata* fatemur, & omnis
*Ex *Tripode* Illius (decus est) sententia venit.

* *Allusio fit ad prov.* ex cortina dictum, *&* ex tripode prodiit; *Sunt autem vasa, non vaticiniis solùm, sed & culinæ inservientia.*

Hoc qualicunque strepitu, in Sapientiæ pietatisque officina Politiss. limatissimoque Dn. RESPONDENTI, quem in Amicorum Albo primo limine adnotavit, si non dignè, sincerè tamen atque piè applaudere gratularique debebat

WILH. NEUHAUS, SS. Theol. Cult.

Symb.

DEO AUT NULLI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78876974X/phys_0104
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78876974X/phys_0108
DFG

verò sunt lupi rapaces, & nil nisi venenum
ropinandum præparant. Hos vivis quasi co-
Salvator, nobisq; ab eis cavere jubet

XVI.

Exod. 3. v. 2. talem nobis præscribit ange-
& est DEUS Abraham, DEUS Isaac, DEUS
eduxit populum suum ex Aegypto de domo
o. v. 2. Hoc autem nec de Angelo, nec de ul-
ore Christiano dici vel potest, vel etiam de-
lum istum, qui Mosi in rubo ardente appa-
esse Deum, imo Deum non mortuorum sed
tat Matt. 22. v. 32. Tertio Angelus iste apud
nitus & preces filiorum Israel audivisse v. 9.
tura piè affirmari potest, non enim ad An-
liquam creaturam populus Israeliticus cla-
n. & verum Deum Exod. 2. vers. 23. Ergo is
audivit, non Angelus, non creatura, sed so-
us Jehova sit necesse est, is enim recordatus
epigit cum Abraham, Isaac, & Jacob. v. 24.
ἰησοῦ est Christophori Ostorodi dicentis,
ctis Apost. testari Jehovam istum, qui cum
tus, non esse verum Deum, sed tantùm An-
expresse pronũciet Stephanq, non Angelum
Mosen ad Pharaonem Actor. 7. vers. 35. Vide-
ra Deitate Christi. Rever. admodum & Clariß.
. & seqq.

XVII.

uod Jerem. 23. v. 8. & cap. 33. v. 15. legitur,
, Photiniani, dicentes 1. illud non loqui de
o, sed de Israele. Verùm dolosa est hæc inter-
ex Ostorodi cerebro deprompta. Non enim
e Israele, sed de germine Davidis. Vnde 1. Sic
cunq; hic primariò agit Propheta, is est &
Atqui de germine Davidis, hic agit prima-
rgo germen Davidis, & non Israel est &
einde non Israel, sed Deus nostra dicitur Ju-
talis suboritur, illatio: Quicunq; est justitia